
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVIII
A
26
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


HENR. ab HEER
FONS SPADANUS
et ejusdem
OBSERVATIONES
MEDICÆ
RARIORES.
LUGD.BAT.
apud PETRUM
vander AA.
MDCLXXXV.

HENR. AB HEERS

Phil. & Med. Doct. Leod.

SPADACRENE

HOC EST

FONS SPADANUS,

Accuratiſſime deſcriptus, Acidulaſque bibendi modus, & medicamina oxypotis neceſſaria.

UT ET

OBSERVATIONES MEDICÆ Oppido raræ in Spa & Leodii animadverſæ, cum Medicamentis aliquot ſelectis, & ut volunt ſecretis.

Editio Noviſſima, prioribus emendatior cum Indice.

LUGD. BATAV.

Apud PETRUM VANDER Aa; Bibliopolam MDCLXXXV.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Philoſophi (*nam Sophi in alium migraſſe videntur orbem*) *quando à* Cœlitibus *&* Cœlo *abjerunt, in* Elementorum *natura, Ignis maximè & Aquæ indaganda, ingenia exercent. Ignem, tanquam ſubtiliſſimis ſuis particulis manus & ſenſus meos fugientem, omitto : ne inſtar alterius* Phaetontis *vel* Icari*; æque ſtupidorum quam nimis audacium, mea arrogantiæ & ignorantiæ pœnas luam. Aqua Elementum qui hactenus negaret fuit nullus; imo multi in quibus* Thales, (*citante* Hippocrate 1. *de Natura Hominis*) *rerum omnium principium Aquam conſtituit, ex eaque ſola & Mundum, & Hominem præcipuam mundi partem conſtare voluit. His ſuccinuit* Columella *qui Aquam dictam putat quaſi* A quâ fiant omnia. *Philoſophi Medici quamvis in multas ſectas eaſque pervicaces deviſi ſint, atque aliqui non in gloriæ tantum famam, ſed & ad opum cumulum anhelent, unique velleri Aureo ut Jaſon*

veliſicent, quamvis in metallorum, & plantarum hiſtoria totis à ſe paraſangis diſtent, ideoque ſæpe in hominum vitam multum peccent, ægris medicorum rixas & imperitiam, immerita ſemper calamitate luentibus; Tamen in Aquarum medicatarum ſalubritatem ita ſocias ſibi jungunt manus, ut qui refragaretur Nemo dum mihi ſe obtulerit. Interim benevole Lector; paucis in limine ſiſti te patere, erit forte quòd feſtinationem tuam promoveat, quare ipſo in veſtibulo hæc ponenda duxi, ne qui Spadam veniunt, ante erroribus ſe illaqueent, aquaſque non quod illæ innoxiæ, hoc mereantur, ſed quod potores propria incommoda peccarunt, infament. In primis Spadanum fontem nullus æger niſi conſulto acidarum perito Medico, adito: Aquarum ſumptioni eccoprotica medicamina præmittunto, nec una ſumptione contenti ſint, ſed iteratis ſi Medico ita videbitur; quod non ægris tantum, ſed & in ægritudinem proclivibus dictum volo. Igne, ut loquitur Hippocrates correpti, & Silicernia, has aquas ne bibunto, & ſi qui in Spa febri corripientur continua, ab aquarum uſu abſtinento. Qui vero intermittentibus implica-

buntur,

buntur, ita potando, ut infebricitatione potam aquam, aliquo ante novum paroxyſmum tempore, matulæ reddant: *ſic enim acidæ vias aperiunt, morbificam cauſſam extergent, viſceribus laxioribus infarcta expediunt, imbibitum humorem lentum, atque in putredinem pronum vel diſſipant, vel in ignobilem locum ablegant.* Phthiſicos etiam exeſſe jubeo, *eorum enim ulceri pulmoniſque eroſioni, acceſſio facile fieret, mollis & ſpongioſa pulmonum caro, à nitro & ſale irritaretur: Tuſſis incrementa duceret. Aliter ſentiendum cenſeo de* Empyis, *qui collecta in pectore putri pituita in Maraſmum ruunt, quorum aliquos his aquis adjutos vidi: horum enim tenax Phlegma, aquea ſubſtantia inciditur & abſtergetur; putredo & huic conſequa lenta febris, ſufflaminatur.* Cæterum *ne quid diſſimulem, acidis decoctum Saniculæ, Veronicæ, Pimpinellæ. &c. præmittebam, quæ viribus longe mihi uſu probatis ſanitatem promovebant.*

Ficoſos *qui ab his aquis arcent, acidarum rudes & inexperti ſunt, ut ſuo loco legetis; nam neque proprietate ſua iis adverſantur, imo expurgato quo ſcatent ſeroſo excremento,*

 pitui-

pituitoſi humoris affluxui, ulcerum, nodorumque per artus tophaceorum generationi, reſiſtunt.

Pleriſque in Spa expedit ſudorem non acerſere; imo ultro ſe ingerentem, ſi fieri poteſt, amoliri ſolique mictioni incumbere. Phlebotomiam, cucurbitas, hirudines præſentis Medici *judicio omnino relinquo. Item de medicamine duodecimo vel decimo quinto die reſumendo, quod etiam qui guajacina diata vacant, facere amant. Quo anni tempore bibendæ ſint aquæ, non eſt quod hic diſputem; etſi enim veriſſima docuerim hyeme meliores & acidiores has aquas quam in æſtate, tamen & itinerum ratio, & alia multa æſtuoſo cœlo advenis bidendas commendant, tunc enim corpora noſtra, quæ hybernis frigoribus denſa, ſolida, compacta ſunt, humoreſque minus fluidi, meatus magis laxos habent, humoreſque ad expurgationem paratiores. Quod ad Solſtitia, majorumque exortus ſyderum, ut* Canis, *Arcturi, Plejadum, &c. quibus orientibus Hipocr. lib. de Aëre locis & Aquis, magnorum medicaminum uſum prohibet, eo quod tum corpora noſtra, ſyderum vin patientia; ferendis aliis*

me-

medicamentis inepta videantur, cum afflictionem afflicto addere tyranni cenſeatur; qui ejus doctrinam acidis adaptant ineptire mihi videntur, cum nunquam jucundius bibantur acide, quam Cum Canis arentes findit hiulcus agros. *Nec inſlammatonis alicujus ab aqua actu gelida, potentia tantum calente, periculum. Quatuor ergo Medicorum menſibus bibite; hoc eſt ab ortu Plejadum ſeu Vergiliarum; quem nunc fere videmus ſub Maii diem decimum, ad Arcturi exortum cui decimum Septembris diem adſignant; cum enim commodiſſime bibuntur. Si tamen iſtis Menſibus, ut nunc multis annis, alſerimus, annuſque fere totus hyemaverit, ad ignem luculentum, vel in lecto bibenda aqua, fovendo ventriculum pannis calidis, aut pulvillis, aut catello huic fini docto, &c. Hora potationis fere eſt quinta vel ſexta matutina, egeſtis primum quantum natura vel arte fieri poteſt, alvinis aliarumque partium fæcibus, vacuoque ventriculo, quo non depleto, turbaretur omnis concoctio, præcordia potione tenderentur, unde fluctuationes, tenſiones, inteſtinorum tormina & borborygmi, aliaque mala. A prandio ſub horam quin-*

 tam

tam levandæ ſi qua ſit ſiti aliqui unum alterumve Pouhontii *exſiccant congium, plerique, quod magis laudo, maxime in iis qui ſano & bene digerente ſunt ventriculo; nam bradipepticis, tarde vel male cibum concoquentibus, quinta poſt prandium hora, hauſtum unum imperat* Avicenna*, ut chylus dilutus melius diſtribuatur, pomeridianis poculis in totum abſtinent. Quantitatem, quam in ipſo cibo potuque quotidiano, difficillimum eſſe definire ſcribit* Hippoc. *ego triginta annorum experientia edoctus optimum cenſeo, nullis illam anxio animo circumſcribere unciis, ſed qui iis aſſueti ſunt primo ſtatim die tantum ſumant, quod ventriculum impleat ſine ullo gravitatis ſenſu, aut moleſtia, hoc vocant bibere cum tolerantia, quicquid erit ſi fieri poteſt omnes horario ſpatio potationem abſolvant.* Inaſueti *4. vel 5. decem unciarum capacia hauriant vitra, inter ſingula aliquid aniſi, vel tabellarum, malo quo laborant evincendo idonearum, fruſtillum, ex* Medici *formula edant. Cæterum hic nihil perpetuum,* Empiricum *medicamentum experientiam cujuſque individui requirit.* Idem *de dierum numero judicium, quiſque*

pro

pro morbi ſui magnitudine, ſuoque profectu tempus metiatur, quintaque vel ſexta ceſſet hebdomade, maxime qui juſtæ in dies doſi exhauriendæ non ſufficiunt, dierum numero defectum compenſent. Solent plerique aquam ut à fonte manat frigidiſſimam bibere, & hoc plerumque Medicorum, virium acidulæ diſſipationem metuentium, judicium eſt. Cæterum Clinici, aliique in cubili potantes, ſcyphum ex quo potant, aqua calida tepefaciunt; imo calorem illi induunt, & pannis calidis involvunt, frigusque intenſum ſi non extinguunt, obtundunt certe, & recte, cum actuale frigus nulli uſui eſſe poſſit, niſi ſiti levandæ, qua minimum Spadanicolæ torquentur, calore autem foventur viſcera, nec quicquam ſani ab acidis niſi calore noſtro calfactis, exſpectandum. Quod ſi vel conſuetudine, vel natura à tepida abhorrent, indeque ventriculus eorum ſubvertitur, ſaltem remisſioni intenſioris frigoris ſtudeant, pravamque conſuetudinem dediſcant. Diætam eam ſervent, quæ acidarum operationi non obſit, & quantum fieri poteſt malo pellendo adverſetur; delectum ciborum in Spadacrene *ſcripſi, potum-*

que deſinivi, in iis tamen qui valido ſunt ventriculo, cerviſia bona, beneque defæcata, quam multi nimium in Spa horrent, admitterem hauſtum. Deſinivi etiam tempus prandii quod fiet vel emictis magna ex parte aquis, vel iis colorem mutantibus, ut ſi quis limpidam primum, dein coloratiorem emiſerit, famiſque ſuctus ventriculum laceſſiverit, prandeat. Verum multi non niſi pomeridianis horis, imo aliqui nocturnis tantum aquas egerunt. Illi conſueta domi hora undecima vel duodecima edant. Vidi Illuſtres Gallos & Anglos, qui hora octava vel nona pota aqua, prandium in ſecundam pomeridianam differebant. Germani quidam ſuis comitati Medicis mane nunquam bibebant, ſed mature pranſi, quintam pomeridianam potationi dicabant, tardeque ſomnum ineuntes, in lucem ſtertebant: ſed illa heteroclita ſunt. Cænandum hora ſexta, ea menſura ut ventriculus mane cum bibendi tempus erit, ſit vacuus. De exercitiis potationi præmittendis nemo dubitat, hinc enim corporis meatus laxantur, calor nativus excitatur, digeſtionique acidarum aptatur. A ſumptione aquarum, rhedarium vel in ſuccutiente equo

ex-

exercitium, pedeſtri præfero, ſic enim muſculi abdominis preſſi, inteſtinorum veſicæque periſtalticam vim intendunt, minuſque ſudorem, quem non cupimus, movent. Quoniam pilæ exercitium omnibus commendatum fuit ſæculis, à viginti annis ſphæriſterium, Sereniſſimo Principe in eum uſum quinquaginta quercus dante, exſtruendum curavi, in quo qui volunt ſe exercent meo conſilio ad Udorem *tantum, nunquam ad* Sudorem. *Somnum meridianum juſtas ob cauſſas damnavi in non aſſuetis jam diu, nec ſententiam muto. Alvum quotidie vel ſponte, vel medicato juſculo, vel balano, aut clyſtere, omnes deponant, aut pilulis uſualibus, ex hiera maxime utantur. Si ob pravam victus rationem, aut aquæ intempeſtivum potum, mala quædam inexpectata, & quamvis ſagaci Medico vix prævidenda, acciderint, conſulendus eſt Medicus qui Spadæ hactenus nunquam defuit; & Pharmacopœorum bonorum ſemper officinæ aliquot proſtant, à quibus ſi diſtenta laborent hypochondria, clyſmate familiari elui poterunt. Si vomitus ob impactam ori ventriculi pituitam moleſtet, hiera picra auxiliabitur, pituitaque abſterſa,*

 ven-

ventriculus tragea aliqua, aut Zinz. Chinenſi, aut acoro condito roborabitur. Si bilis vitium fecerit, vel de berberis, vel ribes, roſarum aut nymphea conſerva, poſt rhei uſum ſuffecerit; Alvo ſtricta, remedia facilia. At eidem nimis laxa (nam & Leientericos, & dyſentericos in conſiderato acidarum uſu vidi plures) prudenti Medico opus eſt, ut & Colicoſis. Ardore urina quoſdam ſalſo phlegmate, vel ſincero, vel bili mixto corripi vidi, qui emulſione ſeminum frigidorum, & maxime ſemine viola purpurea, aut lutea cum aqua Veronica, & ſpiritu Vitrioli levabantur. Expedit pleroſque in fine acidarum, ut in principio fecerunt, purgari. Notavi enim etiam ultimo hoc anno, urinas per aliquot à relictis aquas ſeptimanas moveri copioſe, ſicut & ſudores poſt uſum ligni guaiaci, quibuſdam etiam ſecundo poſt aquas menſe abſceſſus variis in partibus naſci, ut deinceps conſultum putem domum Spada reverſis minimum toto menſe, aſſuetam in acidis diatam ſervare: ſic puto illos votivam ſanitatis tabulam his aquis appenſuros. Ex Spadacrene multa alia petenda, qua ſi non

omni-

omnibus placuerint, nec miror, nec moror; mihi à puero Samoſateni illud arriſit:

Inter mortales concors ſententia nulla eſt;
Nam quod tu laudas, ridiculum eſt aliis.

PROBÆ AQVARVM MINE-
RALIUM MEDICARUM.

Volenti cuique, aquarum mineralium probas examinare, occurrit primo perpendendum, aquas pro diverſitate particularum metallicarum, mineralium, Salinarum, Sulphurearum, terreſtrium, & Spiritus Eſurini, inter cellulas aquarum diverſarum, contenti, quallitate, quam maxime differre: & ob hanc cauſam aquas minerales diverſæ naturæ oriri; quæ tamen omnes unum idemque vehiculum ſcilicet aquam agnoſcunt. Aquæ minerales ſic dictæ, ex diverſis ductibus Subterraneis, per diverſam tranſcolationis naturam ortæ; in tranſitu, ſuper metallicas, vel minerales venas, terras, & lapides præterfluendo, non nihil moram nectunt, ob occurſum aliorum corporum, ſibi occurrentium, & ſic particulas talium ſubjectorum ſolvunt, quæ denique ſolutæ, pro ſolutorum, & ſubtiliſſimi Spiritus medicinalis, inter poros aquæ incluſi naturâ, mixtum, ſcilicet diverſas aquas medicinales conſtituunt. Quas denique vario examini, curioſus indagator ſubjicit, & ut in earum contentorum, majorem cognitionem perveniat. Varias in primis probas per analyſin ignis, deinde per diverſam præcipitationem, tanquam certiſſimam trutinam inſtituere ſolet.

Pro ut metalla ſunt diverſa ſcilicet, Aurum Argentum Cuprum Stannum Plumbum & Ferrum: ita in tranſitu ſingula hæc ſeorſum exami-

examinabimus. Scilicet ſi Aurum Aquis ineſſet; hoc ex ſedimentis, communi metallorum probâ probaretur, nimirum ſi ſedimentum in fundo remanens, per corroſionem diſſolutum, punctis nigricantibus præcipitaretur. Argentum ſi aquis mineralibus aliquas vires communicaret: ſedimentùm diſſolutum & præcipitatum cum lamina cuprea id oſtenderet. Cupro, ſi imprægnatæ eſſent aquæ, ſedementi diſſoluti cum acido Spiritu color cœruleus, cum acrimonia inſtigni, hoc proderet: Si Stannum & Plumbum ineſſent, tum ſedimentum colliquatum, regulum exhiberet. His ſuccedit ferrum, de quô omnes aquæ minerales, ſecundum magis vel minus participant, quod non tantum dignoſcitur per ſedimentum; ſed etiam per præcipitationem probatur: ſcilicet per ſolutionem gallarum & omnium adſtringentiū: unde tinctura vel nigriſcit vel rubeſcit. Qui color non niſi dependet, ex modificatione luminis, & particularum diverſarum combinatione, qui tandem color deſtruitur per affuſum acidum liquorem, alium colorem inducentem.

Mineralia uti Antimonium, biſmuth marchaſita Talcum amiantum hæmatites: aquis mineralibus non niſi rariſſime inſunt; Cobalto, & pyrite aquæ non imprægnantur, licet nonnulli ita jactitant quia textura partium fixior non tam facilè acido tenui ipſius aquæ diſſolvi poteſt. Hiſce omiſſis, maxime obſervandum eſt, anne aqua ſcateat arſenico, ne loco medicamenti venenum aſſummamus; & dum

& dum vitam noſtram ad ulteriorem ætatem extendere conamur, citatis paſſibus, & concitato curſu eamus ad patres: probatur ergo an arſenicum aquæ inſit, ſequenti modo. Scilicet ſi ſedimentum laminis candedis ferreis injectum, odorem fœtidum inſtar alii de ſe ſpargeret, & laminas iſtas dealbaret.

Terræ ſi aquis inſint, ex evaporatione dignoſcitur, cum ſemper, in ſedimento ſub forma pulveris remanent: quarum diverſitatem quiſque curioſus indagator, in earum examine inquirens inveniet, particulas has mere eſſe partes metallicas terreſtribus immixtas ab acido ſubterraneo corroſas, & cryſtalliſationi ineptas, propter defectum acidi fixioris; ex quibus inter ſe, combinatis partibus, ſi naturæ modum producendi res noſcat Vitriolum Martis extrahere poteſt; de quô præcipuè, omnes aquæ acidulares magis vel minus participant.

Salia prout vel ſint acida, neutra vel alkalina, ideo diverſas inſtituemus probas, ut de aquarum contentis certiores fiamus; & prout earum uſus maximè eſt ſpectandus, itaque majori curâ, & acuratiori manu indaganda, eſt præcipitatio, ne ex levi errore comiſſo, cognitionem quæſitam amittamus: cum illa in diverſa modificatione luminis, & particularum diverſa mixtione tantum conſiſtat. Sal commune, aquis an niſit, probatur per reagentia, & per diverſam præcipitationem, ſcilicet affundendo Tincturam lunæ, aquis, unde ſi albeſcant certiſſimum ſignum aquas ſale communi ſcatere. Quippe dum acidæ particulæ

Tinctu-

Tincturæ, ſe uniunt cum acidis particulis ſalis, & eo, ex poris ipſius aquæ, propter loci anguſtiam deturbant particulas ſalinas, quæ ad fundum ſecedentes lacteſcunt: eadem harum aquarum proba, inſtituτur per ſolutionem ſacchari Saturni: unde etiam aquæ albeſcunt. Vitriolum an inſit etiam probatur per adſtringentia uti in ferro factum eſt unde ſolutio ejus vel nigneſcit vel purpureſcit, pro ut acidum Vitrioli colorem alkalinarum particularum, vel deprimit vel intendit. De nitro aquæ participare non poſſunt, quoniam id non niſi in ſuperficie hujus terræ: & non in cavernis ejus, ob defectum acidi aeris oritur. Et ſi ineſſet, tum id dignoſcitur ex evaporatione, & ſedimento colliquato ſupra laminam ferream, ſcilicet ſi crepitum ederet. Sal amoniacum ſi inſit depræhenditur ex guſtu acriori, & præcipitatione per acida, ut pote Spiritum Sulphuris Vitrioli Nitri, ſalis & Acetum deſtillat.

Alumen ſi inſit probatur ex eo, quod intenſior hinc fit color, quam cum cæteris acidis, per additionem coccinellæ. Tartarus aquis nullo modo ineſt interim ille, variè aquas minerales examinat, de quo inferius dicemus. Sal alkali inſit ſequentibus probare nixus ſum; licet ſciam alkali non præexittere ante calcinationem; interim hic conſidero alkali tanquam particulas terreſtres, habentes talem diſpoſitionem ſuarum partium ut luminis radios inſtar alkali modificare poſſint. An alkali volatile aquis inſit, probatur ſequentibus præcipita-

pitationibus, & per Mercurium Sublimatum, in aqua diſſolutum, & cum aquis mineralbus mixtum, quod ſi inde aquæ lacteſcant, præſentiam ſalis volatilis denotat: quia acidæ non niſi tenuiores particulæ Mercuri Sublimati, commiſent ſe quam intime & cum particulis alkalicis volatilibus exiſtentibus in aquis, illaſque ſub forma lactis exhibent; idẽ etiam probatur cum Syrup. violar. unde ille viri deſſet. Quod ſi ex hac mixtione, præcipitatio turbida & rubera evadat, ſignum eſt alkali fixi adeſſe: eadem proba inſtituatur cum Spiritibus volatilibus utpote, cornu cervi, Salis amon: &c. Hiſce jam perſpectis aquas examinabimus, an acidum aliquod in ſe contineant: quod duplex eſt manifeſtum, ſive ocultum. Aperti acidi ſignum eſt quod aquæ acidiori ſapore ſaturatæ ſunt, & citius probas ſuas ſuſtinent. Ocultum vero eſt, cujus aciditas non depræhendi poteſt, & probam non niſi poſt tempus exhibent. Deinde ſi ex Spiritu nitri affuſo aquis mineralibus purpureus reſultat color, ſignum acidum occultum ineſſe; iddem probatur per ſolutionem nitri fixi: per Ol. tartari per diliquium: cineres clavelatos, Spiritus ſal Ammoniaci &c. denique cum Syrupo violarum unde aqua rubeſcit: quia acidum dividendo particulas alkali eas exaltat: Hinc ex varia particularum diverſa poſitione, color per modificationem luminis diverſus oritur, qui variatur prout intenduntur & deprimuntur particulæ acidæ ſalinæ volatiles & ramoſæ, vel magis vel minus inter ſe miſcentur.

Ramo-

Ramoſa deinde corpora ſi aquis ineſſent probatur ex ſedimentis, odorem Sulphureum fœtidum,& lacteſcentiam intignem exhibentibus Oleoſa namque cum aquis mixta lacteſcunt. Probæ denique ex ſedimentis maximè ſunt ſuſpectæ, ut ſi ſolutionis hujus ſedimenti corroſi ab Spiritu acido,color,conferatur cum ſolutione auri: & quod ſi liquores eundem ſibi ſimilem videntur habere colorem, propterea dicerem aquam, continere aurum & ſedimentum auro eſſe imprægnatum; unde non niſi rediculoſa conſequentia flueret? quæ idiotis non vero peritioribus artis obtrudi poſſet.

Probant etiam aquas minerales per ſaporem, quo gulæ magis arrident & gratiores, eo meliores: pondus non convenit bonitati aquæ, nam quo leviores eo meliores, & per conſequens minus ponderoſæ: per coctionem cum carne bubula etiam ſolent experiri: Sed proba eſt nullius momenti. Ex ſedimento dein Obſervatur an in principio evaporationis pelliculæ deprehenduntur: quod ex acido proveniere nonnulli putant. Reſidum examinatur cum acidis vel alckalibus & an efferveſcat, vel præcipitat quod videbimus in probis aquarum thermalium nempe ſi ſedimentum thermale addatur aquæ Spadanæ efferveſcit, quod fit ob occurſum acidi & alkali, quia aquæ Spadanæ acidum manifeſtum & ſedimentum thermale alkali continent; ab diverſis, etiam aliis liquoribus hoc ſedimentum præcipitatur, & alios præcipitat, pro modo diverſæ præcipitationis inſtitutæ.

AUCTO-

AUTORIS,

Ad librum ſuum

ELEGIDION.

Parve liber, ſed mole Liber permagne, ſed uſu;
I, propera, Ævipedes calce præito; vola.
Claudam etiam volitare, illud quando æquor arandum
Quod vel dimidio ſol rapit ipſe die.
Ultima te Thule, te Thrax, te Sarmata poſcit:
Te jam pacatus per mare anhelat Iber.
Te Batavi, te Celta ferox, Tungrique meorum
Patria, te Europæ, qua patet ora, ſitit.
Tu citius Baldo, Creſſiſque jocundius herbis,
Tutius & patriis quemque reponis agris.
O ſi qua noſtrum Phœbi Vis influit orbem,
Omnia Spadanus lambat arata liquor!
Quam Mortæ vis fracta foret, quam vivida vita?
Quam gemeret vacua navita lintre Charon!
In Spa dedidicit ſua ſtamina ſcindere Parca:
Propter Spa viduo, Cerberus ore famet.
Si cui, nam cælum tonere in capita iſta putavit
Cous, ab Herculea compede membra ſilent.
Aut ſi ſydereo ſtupuit quis fulmine tactus;
Hinc bibat, à Cælo atque Hercule tutus erit.
Quem vertigo rotat ſtantem, cui tintinat auris,
Brachia cum gemino cui reſoluta pede:
Qui ſtomachus dormit, vacuum cui ſanguinis hepar,
Cui nigro fellis turget ichore lien,
Huc veniant & quos dirus tum efecerit Hydrops,
Nam

Nam formidatis Spada medetur aquis,
Tormina cui ventrem, ſubſt illũ aut ſanguinis urit,
Hic ſibi confeſtim, quo medeatur, habet.
Si fluor alvinus lacera inteſt ina fatigat,
Ulcera ſi medium ventris, & imatenent:
Gallica ſi ſtillat carioſo ex inguine tabes,
Vulnera ſi medio cypria pene ſedent.
Quanquam hæc & caſtum ſubeant incommoda corpus,
Cum micat è parvo grandio ore lapis;
Aut penis lotio ſilanus roditur acri:
Et nequam & caſtos, Spada ſimulte levat.
Virgo cui pigro ſtagnant catamінia motu,
Aut cui guttatim menſtrua & alba fluunt:
Cui crocus aut plumbum, frontemque genaſque colorat,
Te pota, lunæ cornu a certa notat.
Et fronti candor, redit & ſua purpura malis
Et labris redeunt, potius anteroſæ.
Fœmina cui prolem, Lucina noverca negarat,
Sæpius hinc gravido viſa redire ſinu.
Si pateris quam non tollit medicina podagram,
Hic pota, his potis ſanior ibis aquis.
Dicere plura libet; medici ſed dicere pauca eſt,
Et facere, hæc quæ vel momus & ipſus amet.
Quid mihi cum momo? vel ſi milleſimus horum
Qui leget hæc: pape! dicat & euge! ſat eſt.
Qui multis placuit, vix uni perplacet: at qui
Diſplicuit multis, hunc ſophus omnis amat.
Quiſque ſuo ſimili capitur, vaſania pleros
Quando tenet, paucis ſi quis amare, ſapis.

INDEX

INDEX CAPITUM, IN SPADACRENE.

CAP. I.

De Fontium origine. Pag. 1

CAP. II.

De varietate Fontium. 9

CAP. III.

Medicatorum Fontium differentiæ. 15

CAP. IV.

Cætera Acidorum Fontium contenta. 25

CAP. V.

De Spadanis Fontibus ſigillatim. 39

CAP. VI.

Diſcrimen horum quatuor Fontium. 46

CAP. VII.

Unde acorem habeant hi Fontes. 54

CAP. VIII.

Quales ſint hi Fontes. 63

CAP. IX.

Quibus affectibus debellandis utibilis ſit aqua Spadana. 69

CAP. X.

Modus prædictos affectus debellandi. 89

CAP. XI.

Qua ratione acidarum optatus uſus promoveri poſſit. 101

CAP. XII.

Tempus bibendi aquas Spadanas. 108

CAP. XIII.

Quis modus bibendæ aquæ. 112

CAP. XIV.

Diæta Acidas bibentium. 121

CAP. XV.

Quæſtiones quædam in Spa proponi ſolitæ obiter ſolvuntur, 135

SCRIPT.

Digitized by Google

SCRIPTIONIS OCCASIO.

Caput Primum.

De

Fontium Origine.

ACIDORUM qui paſſim in Germania Arduennaque ſcaturiunt fontium tanta eſt diverſitas, ut jam paulo minus à ſeipſis, quam ab aliis vulgatis aquis diſcrepent. Color, odor, ſapor, multa quæ eos commendant ſubterranea, alibi avariore, alias magis muni manu à natura podydædalam varietatem ubique affectante communicata, ipſos diſcriminant, ut ſinguli pæne ſcriptorem ſibi aliquem admovere poſſint, qui ipſos meritis laudibus orbi commendet nativaſque dotes victuro calamo proſequatur. Magno enim mortalium incommodo optimi fontes ita in oblivionem veniunt, ut & locus in quo floruerunt controvertatur. Hinc doctiſſimus

Mercurialis libri primi [variarum lectionum caput tertium implet dubitatione ubi fuerint aquæ ferratæ à Scribonio Largo, & Marcello Burdigalenſi deſcriptæ, quæ quia veſicæ vitia emendabant, veſicariæ vulgo audiebant. Iam Tungrorum meorum Plinio celebratiſſimum ferrugineum fontem, quidam apud antiquæ urbis pomœriorum rudera; alii in ipſo Spadano vico, totis decem horis inde diſſito collocant. Nec mihi hanc litem, aliis occupato, componere promptum eſt. Hoc ſæculo idiotæ quæ eorum vecordia eſt, parum penſi habent, ex quo fonte aquam hauriant; dum acore optato linguam feriat, digni ſane qui lutum quo eos Epimetheus finxit, ſi non omnino è robore exciſi ſunt, ætatem potent totam, aut tandem quantum fons fonti præſtet condiſcant, viriſque eos diſcernendi peritis fidem habeant. Atque utinam in ſingularibus aliquot fontibus errores hi ſtarent: Verum in univerſis, totoque eorum genere multum hallucinationum committi jam olim docuit Galenus, cum 7. methodi erroris arguit quoſdam Empiricos qui multis remediis etiam pugnantibus nullo ſucceſſu tentatis, ægros ad balnea ablegabant,

bant, ignari & naturæ aquarum, & parum ſolliciti num ægris convenirent. Mihi jam 30. annis, quot æſtatibus in familiam fere magnatis alicujus adſcito, Spadanas aquas adeunti, idem videre contigit. Miſſi Spadam ex variis Europæ partibus ægri, ab iis qui has aquas nec oculis, nec lingua uſurpaverant, quique pauciſſima forte de iis legerant, vel fando acceperant, qui & hoc unum quæſiſſe viderentur, uti ægros, aut moroſiores, aut incurabiles à ſe amolirentur, eorumque vel citam mortem, vel moram in morbo, ſuis vicinorumque oculis ſubtraherent. Datæ bibendi quibuſdam regulæ, vel ruſticis noſtratibus deridendæ. Vidi cui unam tantum unciam, vidi cui decem ad ſummum, vel viginti præſcripſerant, ut expedierit hominibus illis, ſenis alicujus, aut anus Spadanæ, aut cujuſvis advenæ (Bobelinum Spadani vocant) qui ſolo quatriduo ibi vixerit, quam talium medicorum conſilio uti. Empiria enim, ut has aquas invexit & excoluit, ita ejus accolas multa docuit, quæ Machaones cæteroqui doctiſſimi, multum à medicatis aquis ſemoti, nullo modo ſcire poſſunt: quæque noſtrates medici, ab illis diſcere non erube-

 ſcunt

icunt. Quæ cauſſa fuit cur & juniorum Aſclepiadarum, & ægrorum bono, ut ſpero, de aquis ſoli mei natalis obiter ea chartis credere voluerim, quæ annorum aliquot experientia notavi, quæque cum aliis medicis contuli, obſervavique, vel legendo eos qui ante me ſcripſerunt, (nec enim ex aliorum adorea ſertum peto, collegi. De Spadanis ergo poſt Philippum Gheringum affinem, & Thomam Ryetium Socerum meum ſcripturus aquis, viſum eſt paulo altius fontium originem ſcrutari. Si Senecæ, Plinio, aliiſque credimus in ſubterraneis ſpecubus magnam latere aquæ vim, adeoque totos rivos, ſtagna, lacus; quotidianis experimentis tam clarum eſt, quam quod clariſſimum: ut jam non ſit opus, quod Philippnm Macedonem feciſſe, ex Aſclepiodoro refert Seneca, conductos in imas terræ cavernas mittere homines, qui facibus, laterniſque multos dies progreſſi, magnos ſe amnes vaſtaque inveniſſe flumina renuncient. Hoc enim puteorum, metallorumque foſſores, hoc in latomias damnati, noſtrique carbonibus eruendis occupati Leodienſes, dietim experiuntur, qui in tantam ſæpe aquarum incidunt affluentiam

tiam (affloghemens ipſi corrupto parum nomine vocant,) ut neque ad latera, neque in profundum progredi queant; ſæpeque undis inſano impetu per terebri nimium ſe exerentis hiatum erumpentibus, morte pœnas nimiæ vel curioſitatis, vel avaritiæ luant. Ut jam Aſclepiodoro aliiſque credere poſſimus, qui ſubito ex terra ingentia proſiluiſſe flumina ſcripſerunt, minuſque fabuloſos judicare, vel Platonem qui in imis terræ Oceanum tertareum: vel alios poëtas qui Stygem, Cocytum; Phlegethonta confinxere. Nec dubium eſt quin Deus cum tertia creationis mundi die unum in locum aquas ſecrevit, terræque cavernis eas incluſit, ſimul in diverſas terræ partes per occultos meatus & cuniculos magnam aquæ copiam è mari corrivatam diſpertierit; cujus adjutrice opera lapides, Metalla, & ſi quæ hujus ſunt generis, decurſu temporis in terra ſimul coaleſcerent; ex earum dico aquarum copiis per terræ latebras diffuſis, illo ipſo tertio creationis die multos fontes, imo amnes diverſis locis ſcaturiviſſe; ſive hoc gratiæ ornatuique terræ debebatur, quæ multis hinc inde natis fontibus ad cœleſtium corporum pulchritudinem

ſtellis diſtinctorum adſurgebat, ſive ſumma tanti opificis liberalitas, Adamum recens natum fontium commoditate carere noluit. Ariſtoteles tamen in ſuo de ſublimibus libro, ex aëre in terra concluſo atque in aquam reſoluto, naſci omnes fontes fluminaque voluit. Non legerat credo, etſi Platonis diſcipulus in Phædone, quatuor illa Paradiſi flumina juſſu Dei proſiluiſſe, nec aëris ullam concretionem expectaſſe. Niſi forte ante Goropium Becanum (in Indoſcythicis pag. 81.) deliravit, quatuor illa flumina, nil aliud fuiſſe, quam Oceanum in quatuor orbis plagas fluvios emittentem: quo ſenſu etiam Siracides Eccleſiaſtes ait, omnes aquas venire è mari, rurſumque emenſo ſuo curſu, mari ſe reddere. Facile Ariſtoteli conceſſerim, omnes vel certe pleroſque, (nam quoſdam quaſi per impluvium diſtillantibus, ſcilicet per ſaxorum commiſſuras, tellurisque rimas imbribus, ſurgere conſtat, etſi Seneca nullos fontes ex pluviis auctiores fieri credat) qui ſuo vel noſtro ævo prodierunt fontes, ex aëre terram ſubeunte, terræque frigore condenſato, ac in aquam reſoluto naſci. Ut enim ad mediam delati aëris regionem, vapores,

nativo

nativo ejus frigore in aquam denſantur pluviam : ita qui ab imis terræ viſceribus ad convexa montium antrorumque impingunt, à lapidum tophorumque algore in aquam coëunt, longaque die ſenſim auctæ fontem orbi proferunt ; hoc tantum diſcrimine quod vapores in convexa altorum delati montium, quia lentorem nativamque craſſitiem magis exuunt, limpidiores : qui vero in pinguium camporum ſuperficiem impingunt, turbidiores fontes excitent. * Atque ut pluvia non ſemper ex aëre vaporoſo frigido cogitur : ſed & interdum ex ſpiritu calido & fumoſo, atque adeo animam reptilium recipere apto, ut cum ranas pluit vel vermes : ita & in ſubterraneis ſpecubus, hic frigidæ, ibi calidæ aquæ, coaleſcunt, inque fontes hæ ferventes, illæ algidos ſe ſurrigunt. Unde facilem explicatum habet, quæ multos hactenus torſit quæſtio ; cur hic ſubito naſcantur fontes, alibi vero celerrime inareſcant. Hujus enim prima cauſſa adferri poteſt ruina, ſeu defluxus terræ intercidens viam aquis, quæ proinde aliorſum commeant alioſque quærunt exitus : quod in terræ motibus, ſuſque deque terram ferentibus, crebro accidit, ut pulchre docet

Seneca Naturalium lib. 3. cap. 11. Ita obſervatum Theophraſto in monte Coryco poſt quandam terræ quaſſationem multos novos exiluiſſe fontes: altera cauſſa eſt ſylvæ arborumque nova procreatio aut evulſio; cum enim arbores, vicinæ terræ uliginem, aquaſque ſibi in alimentum advocent, fit interdum, ut iis denuo enaſcentibus, hauſta & pota ab iis aqua, in fontes manare deſinat: Et vice verſa, ut evulſis arboribus quæ ab earum radicibus ſugebatur aqua fluere incipiat, novumque fontem excitet. Id patrum ſæculo accidiſſe, hoc eſt an. Domini 1555. in Baia Salvatoris, ſcripſit Ambroſius Perez, cujus verba ſubjungam. Ædificabatur, inquit, Jeſuitis domus, eradicandaque erat ingens arbor, illa exciſa, & prolabente, cum radices ſequerentur, evulſione tantum in ima humo motum agere, ut mox ſcaturire viſus ſit fons, valde potabilis, ac ſalubres aquas mittens. Omitto fontes quos vel Moyſes, vel alii Sancti, quorum ingentem numerum ex vitis Patrum colligere eſt, precibus ſuis repente orbi oſtenderunt, ut & illos qui Ethnicis aliquando velut miraculo ſcaturierunt, cum & Livius lib. 4. dec. 3. pro prodigio habeat,

quod

quod in Vico Iſtrico repente emerſerit fons, torrentis modo. Latentis indicia aquæ, ſi quis ſcire vult, legat Plinium lib. 31. cap. 3. Vitruvium lib. 8. c. 1. Palladium & alios.

Cap. II.

De varietate Fontium.

NOn alibi natura plura, quam in aquis fontium præſertim & fluminum miracula oſtendit: ego nec omnia perſequar, quia infinitum eſſet, nec ea ſilebo, quæ cum Spadanis, aliiſque Germaniæ, quos bibi acidis, vel conſentiunt, vel ab iis non longe abeunt. Quidam fontes, inquit Plinius lib. 2. cap. 103. tanta vi exiliunt, ut ſaxa extrudant, veluti Marſyæ fons in Phrygia ad Celenarum Oppidum. Ego vero crediderim hunc fontem ſaxa non extruſiſſe, ſed res vel caſu, vel induſtria in eum injectas, obduruiſſe, ſaxeamque induiſſe naturam. Quod & videtur ſentire Seneca l. 3. Nat. c. 2. Sunt, inquit, aquæ, quæ in lapidem vertunt. Talem ego fontem in Euganeis vidi, & ante me eum obſervaverat undequaque doctiſſimus Joannes Heurnius, lib. 1. methodi ſuę medendi, tractatu de luto ther

 marum,

marum , ubi ait ſe vidiſſe muliebrem mammam in ſaxum evaſiſſe , quod cum mortua jaceret, hoc fonte merſa fuiſſet. Alium hoc valentiorem vidi tertio à Moguntia lapide, prope Swalbach ; qui pagus aquas, Spadanis nihilo cedentes exhibet, quod meo experimento ante 36. annos didici; in quem pilæ palmariæ, chirothecæ, aliaque poroſiora injecta una nocte lapideſcebant : nec hoc tantum, ſed & ligna vicina, ſepium vicem obeuntia, diuturna irrigata pluvia, ceu viſa Gorgone in ſaxum mutabantur, in quibus videre erat partem pluvio imbre , vaporibus ex hoc fonte collectis madidam, lapiduiſſe : reliquam vero, nihil à ligni natura abiiſſe. Ita ut in eodem trunco (erant autem querni, continuone, an contiguo, alibi diſceptavi (manifeſtiſſime lignum lapidemque, quivis etiam Corydon judicaret. Talem etiam vidi in Arduenna, non longe à Malmundario, cujus meminit Gilbertus Lymborch, qui primus hos fontes delineavit. Tales etiam depingit Plinius: & Leander, Plinio intactos in Italia plures memorat, ut apud volaterras & Forolivienſes, in quos ſi immittantur ligna, frondes, herbæ, lapideo cortice obducuntur. Ortelius etiam

in

in Hibernia : Saxo Grammaticus in ſua Dania, & Petrus Hiſp. in Paruaco inveniri tales tradunt. Nec hoc Paracelſo, Chymiſtarum, ut ipſi inſaniunt, triſmegiſto, novum videtur, qui omnes aquas ſale gemmæ imbutas, vel, ut ipſe ſolœciſat, imprægnatas, eam virtutem in omnia ligna obtinere aſſerit. Additque ex vitriolo aquas, in æs mutare ferrum. Alij fontes, etſi tangenti frigidi, more efferveſcentis ad ignem aquæ ebulliunt, nec tamen aquas extra vaſis labra evomunt, ſed eas momento reſorbent: quod videre eſt in Swalbach in horto pago contiguo, in fonte ligneo vaſi incluſo. Idem facit in Elbogano acidula, quam inſanam vocat Agricola. Addit Andernacus, quarto inde lapide verſus Ægram, alium tanto ebullire ſtrepitu, ut furioſam aquam omnes nuncupent. Idem accidit fonti Thyano in Cappadocia. Hoc ipſum ſuperioribus annis in Anteniacis fontibus obſervavi, ubi duo Tyllerano vicini fontes, maximum edunt ſtrepitum; cujus cauſſam rogantibus hanc reddidi; Habent hi fontes capacem & vaſtum intus alveum, exiguum autem per quod exeunt foramen, idque ad montis duriſſimi imam radicem ſitum; cujus labra dum

feriunt, duorum corporum alliſu, murmur edi neceſſe eſt, affine illi quod marinis in ſcopulis, ab agitatis undis cieri videmus. Alii æſtum marino ſimilem pati videntur; nam modo intumeſcunt, modo reſident, ut apud Larium lacum in agro Comenſi, fons Italiæ pluviana dictus, cui hoc in horas fere, aut certe ſæpius in dies eveniſſe ipſe vidi. Hujus meminit Benedictus Jovius hoc diſticho.

Inſcie cur fontem docti de nomine Plini
Ducis, ab indigenis quæ pluviana vocor?

Hunc Plinius Junior lib. 4. epiſtola ad Licinium Surram, quæ libri eſt ultima fuſe deſcribit, ejuſque varietatis cauſas multas, quæ tamen omnes in regurgitationem recidunt, recenſet: quam ſi intellexiſſet Seneca lib. 3. naturalium cap. 16. non ſcripſiſſet fontes eſſe qui ſenis horis pleni, ſeniſque ſicci ſint, idque occultum eſſe naturæ miraculum. Hanc regurgitationem Saxo Grammaticus, in præfatione Daniæ ſuæ, numeratis Norvegiæ ſimilibus fontibus, quadantenus adumbrat, eſſe in terra frequentiſſimas dicens latebras, & ſinus, in quibus aquæ non perennes, ſed ſparſæ ſint, ibique plurimum eſſe ſpiritum, cum

cum quo eruptionem quærente, manant illæ aquæ: ſed cum modicæ ſint; velut regurgitatione retractæ, videntur deficere. Fieri id autem vel ſingulis, vel ſtatis horis, non aliunde putandum eſt, quam quodam perpetuo fluxu & refluxu erumpentis, & quieſcentis, ac rurſus excipientis ſpiritus. Huic ſimillimum habent Turingi, quem Craterem nominant. Vitruvius qui Auguſti ævo ſcripſit, lib. 8. cap. 3. *Sunt*, inquit, *fontes uti vino mixti, quemadmodum eſt unus Paphlagoniæ, ex quo etiam ſine vino potantes fiunt temulenti.* Plin. quoque lib. 31. cap. 3. autor eſt ab Eudoxo & Theopompo antiquiſſimis ſcriptoribus, quoſdam fontes memoriæ eſſe proditos, qui bibentes inebriarent. Sotio etiam vetuſtus ſcriptor, qui & huic rei vetuſtiſſimos laudat autores, in Arabia ait fuiſſe fontem Iſodum, qui hemina vini affuſa, cum vino ita miſcetur, totus ut in vinum dilutum, & ad potandum bene temperatum abeat. Hanc aquæ temperiem, & Spadani, & plerique Germaniæ fontes acidi ſervant optime, imo affuſi vino, fumum calidum quaſi bullientis aquæ quidam excitant, odoreque gratiſſimo naſum, bullis alte ſalientibus, oculos mire recreant. Ar-

cadiæ

cadiæ amnem Lynceſtium vini more inebriare, ultimo ſuæ Metamorphoſeos, ſcripſit ingeniorum omnium compendium Ovidius. Hoc omnes Spadani inſuetis faciunt, & ante alios Geronſter, quod ego bibentibus millies accidiſſe in me & aliis obſervavi. Verum hæc ebrietas, ne quis hinc curarum levamen, aliaque Horatiani Lyæi expectet munera minor quadrantaria eſt, raroque horæ quadrantem, vel æquat, vel excedit. In Alpibus Engſtliis in ditione Bernenſium è ſcopulo fons tribus tantum menſibus Iunio, Iulio, Auguſto, profluit, & quidem bis tantum in die, mane & veſperi, nec diutius quam pecora ſint adaquata. Quod ſi quis ſordes in alveum injiciat, indignatum flumen tamdiu deſinit fluere, donec homines facti pœnitentes ſordes extrahant. Expurgato enim & mundiſſime compto alveo delectata lympha, rurſum fluit. Huic rei teſtem eſſe Helvetiam univerſam ſcripſit Stumpfius. Noſtri fontes ſtatas ignorant horas; cæterum ſordes omnes, adeoque ipſum ſaccarum, vel caſu vel curioſitatis ergo injectum, minimo temporis rejiciunt. Quod etiam in Anteniaco fonte Tyllerano, dum Principi meo aquas biben-

ti

ti adeſſem, ſæpe obſervavi annis ſuperioribus. Omitto alios, ne juſto ſim longior, aut ne Pliniana videar ſcrinia compilaſſe. Si tamen plura, quæ etiam curioſiſſimo ſatis ſint, de fontibus ſcire quis cupit, legat colloquium 13. Simonis Majoli Epiſcopi Vultuarienſis, in eo tomo cui titulum fecit (Dies Caniculares:) ibi illum ſane ut ubique, ſæculi noſtri Plinium agnoſcet. Tranſeo ad fontium vim medicam.

CAP. III.

Medicatorum fontium differentia.

QUamvis medicati fontes, & iiſdem, & diverſis in regionibus ſapore plurimum inter ſe diſcrepent, aliique ſalſi, alii vinoſi, alii ferrei, vel ſulfurei, à guſtantibus judicentur, omnes tamen communi nomine Acidi audiunt. Medicatæ enim aquæ multos ſinus, terræque pluſquam Dædaleos emenſæ anfractus, variis imbuuntur virtutibus ſubterraneorum; quorum aut vires, aut ſubſtantiam, aut utrumque, ſecum trahunt. Itaque ut puritas & ſimplicitas, fontes commendat vulgares & puteos; ita multiformis & varia rerum etiam pugnantium commixtio, medicatis fontibus

tibus laudem conciliat: qui ideo minerales vocantur, quia mineram ſecum trahunt. Eſt autem minera ſubterranea matrix ex qua foſſilium aliquid oriri poteſt, ſeu metallum hoc ſit, ſeu lapis, ſeu ſuccus, ſeu gleba, terrave mineralis. Verum quod in terræ ſuperficie fieri videmus, ut quædam vires ſuas aquæ non niſi multa coctione impertiant, alia etiam vino affuſo: aut ejus ſpiritu indigeant, quædam vel maceratione, vel agitatione horaria ſe communicent: ita in terræ latibulis, quædam non niſi multo calore miſcentur, idque multo poſt tempore: quædam nullo negotio liquantur, aquiſque penitus miſcentur quæ omnia pro caloris, moræ, materierum facili vel difficili ſolutione, levitate, gravitate, tenacitate, variari neceſſe eſt. Hic obiter nota, fontes ſponte erumpentes à Galeno ejuſque ſequacibus ſive thermæ ſint actuque caleant, ſeu frigidæ, potuique etiam ſaniorum deſtinatæ, inter balneares numerari. Horum fontium alii quicquid habent, terræ debent quam abradunt, ut, bolo, ochræ, rubricæ, terræ lemniæ, cretæ. Alii liquoribus, ſeu congelatis ſuccis, ut alumini, bitumini, ſulphuri, nitro, vitriolo, cujus quatuor

ſpecies

ſpecies recenſet Dioſcor. (Zory, miſy, calchitim, melanteriam) hydrargyro. Alii metallis, ut auro, argento, æri, plumbo ſtanno, antimonio. Alii lapidibus, ut cryſtallo, marmori pumici, marchaſitæ, hæmatiti, magneti. Alii radicibus plantarum qui rariores ſunt, vel quia non tam alte radices demittunt, vel quia fontes medicati, ut plurimum viciniam habent ſterilem, ſoloque non frugifero ſcaturiunt; uti è contrario, ubi pabula læta Cererique accommoda tellus, medicatarum aquarum ſumma inopia. Hoc qui Haſbaniam noſtram cum Arduenua contulerit nullus inficias iverit, etſi nunc Arduenna multis marris, rutabuliſque ruſticorum domita, frugibus, ſed Hasbanicis multo deterioribus, ſe accommodaverit hoc vicennio. Ex his omnibus ſubterraneis, etſi fontes medicinam trahant, atque horum pleraque ſi non contrariam, parum ſane affinem vim ſæpe habeant, hinc fit, ut aquæ medicatæ eædem numero, multos admodumque inter ſe pugnantes, expugnent morbos, ut infra patebit. Proinde ut accurate fontium diſcrimen ineamus, videndum quænam foſſilium, amicam ſeu congenerem, vim habeant, quæ verò

to contrariam. Calent bitumen, ſal, ſulphur, æs, calx; ideoque ſiccandi, incidendi, abſtergendi, diſſipandi virtute pollent. Qui calidorum numero nitrum adſcripſit magnus Albertus lib. de Metallicis quinto ſub finem, & ex eo Andernacus, & alii, ſi de veterum nitro (cujus meminit Hippocrates libro de aëre, locis, & aquis, Dioſcorides lib. 5. cap. 89. Plinius lib. 31. cap. 10. Galen. lib. 9. ſimplicium medicamentorum) ita ſenſit, minus erravit. Cæterum nec illum vidiſſe puto; cum jam veterum quos citavi poſt Hipp. ævò deficeret. Mathiolus tamen ſe Conſtantinopoli accepiſſe à Quacelbeno Flandro, & commentario in Dioſcoridem, & in epiſtolis ſcribit, & ego Venetiis inter cappares Alexandrinas eo conditas, annis ab hinc 34. mihi oſtenſum memini, ab excellentiſſimo Santorio Santorii, tum Venetiis, poſt Patavi medicinam faciente. Cæterum noſtras ſal nitrum; quod hodie nitri vocabulo ubique audit, tantum ab illo diſtat,

Quantum Hypanis Veneto diſſitus Eridano.

Salis enim nitri frigus, ſi pyrius pulvis in quo cum ſulphuris calore, è diametro certat, non ſatis argueret, ſane Chymiſtarum ſal prunellæ, quod nihil eſt aliud, quam

quam ſal nitrum à fœcibus per flores ſulphuris depuratum, frigidiſſimum evinceret. Hujus enim minima pars vino miſta, ipſum ita alſioſum reddit, ut dentes ſtupeant, hocque uno remedio ſcabritiem linguæ, ſummumque febrium, non dico cum vulgo calorem, ſed cum Hippocrate ignem oppugnent, expungantque: ſi quis hic autorum teſtimoniis locus eſt, nitrum vino mixtum ipſum refrigerare, ſcribit Langius lib. 10. epiſtola 31. ad finem: Item Ioubertus Decadis primæ paradoxo quinto, verbis extremis. Baccius lib. 5. cap. 8. alumen dicit eſſe terræ ſalſuginem ſimilem admodum naturali nitro, eadem mens Mockio pag. 199. ex Baccio Elpidio lib. 5. cap. 7. Doctiſſimus tamen Richardus Androes Medicus Anglus, qui annis ſuperioribus ſalutis ſuæ cauſa hos fontes adiit, mecum in itinere ad fontem, hac de re, ut fit, diſputans, etiam noſtras nitrum calidum eſſe voluit, rogatuſque quomodo ergo linguæ ſcabræ & tantum non exuſtæ, tam multum humorem induceret; reſpondebat hoc calore ejus, poros linguæ aperiente, atque inde evocante humorem latentem fieri; quod quî fiat, non ſatis capio. Si enim febri-

lis

lis calor humiditate abſumpta hanc ſcabritiem, ſiccitatem, fiſſuras induxit, quomodo novus calor ſuperveniens non augebit ſcabritiem, rimaſque? ut taceam ſuperſtite adhuc in lingua humore tam copioſo, impoſſibile eſſe tantam induci ſcabritiem, quæ etiam loquendi uſum auferat, qui tamen noſtrate nitro ad minimi piſi magnitudinem ſumpto, aut linguæ impoſito, redit: totumque os madeſcit, nec facile niſi multo poſt tempore ſiccatur. Et ſane, ut infra dicam, Tonneletius fons Spadæ aliis nitroſior, tantum ori, ventriculoque frigus communicat, quantum pauci ferre poſſunt. Nam actuali ejus frigore adeo læduntur, ut commodi ab eo parum, vel nihil ſperent, exceptis paucis, quibus hepar æſtuoſius, ventriculo non omnino debilitato ipſum commendat: cum ventrem valide ſatis, humoreſque varios, ſeminigros, ſemivirides, incertoque colore tinctos deturbet, cui rei ut & frigori nitri multum confirmando, plurimum facit illud Vitruvii lib. 8. cap. 3. *Eſt autem aquæ frigidæ genus nitroſum, quod potionibus depurgat, atque per alvum tranſeundo, etiam ſtrumarum abigit tumores.* Frigidorum cenſui plerique adſcribunt

ſcribunt aurum, argentum, ferrum item & plumbum, gypſumque, quæ cum manifeſto adſtringant reprimantque, ideoque ſecundum ut minimum frigoris gradum occupant. Cæterum ferri naturam accuratius ſcrutari libet quando illam multis veterum neglectam, aut male intellectam video. Ferream aquam negat in Italia reperiri Fallopius tract. de thermis cap. 8. *atque utinam*, inquit, *reperirentur, quia melius ageretur cum iis qui laborant affectibus renum & veſicæ.* Nobiſcum benignius egere Cœlites quam ut votis iſtis egeamus. Ferratis enim fontibus circumfluimus, ut vel hoc ſolo nomine ferri proprietates quantum poſſum ex Scriptoribus rimari, meamque de eorum dubiis opinionem aſtruere cogar. Gal. 9. ſimpl. dicit ſquamam ferri, ſiccare paulo imbecillius ſquama æris, validius tamen adſtringere. Eadem mens Dioſcoridi qui addit ipſam etiam ventrem ſolvere. Unde colligere eſt, cum ſquama æris caleat, tertioque gradu ſicca ſit, ferrum ab eodem caloris, ſiccitatiſque gradu parum diſtare. Sane in obſtructionibus & maxime lienum aperiendis, ferrum, & chalybs, quod ſola puritate à ferro diſtat, primas tenent. Cæ-

terum

terum ferrum calidiſne an frigidorum cenſui adſcribendum, necdum convenit inter Autores. Et ſunt qui in hanc partem abeant, quibus favere videtur Ariſtoteles 4. ſublimium cap. 6. ubi ait ferrum concreſcere à frigore, per evaporationem omnimodam caloris: Si inquiunt, omnis calor evanuit, quod reſtibile eſt, non poteſt non eſſe algidum. Videtur eadem mens Galeni 9. Meth. cap. 17. ubi ait ferrum & reliqua metalla habere conſiſtentiam à frigore. Colligunt idem ex adſtrictione ferri quam manifeſtariam dicunt in ſiſtendo fluore muliebri, ſputo ſanguinis, ipſaque dyſenteria. At Galeno in 4. de ſimp. med. fac, omnia quæ adſtringunt frigida ſunt. Demum unum cymbium Aquæ chalybeatæ, plus contra ſitim valere dicunt quam ſex aquæ puræ. Sitim autem levantia frigida ſunt. Qui pro calore ſtant, Hippocratem ſuarum partium faciunt, dicentem in lib. de aëre, locis & aquis, aquas ſcaturientes in quibus eſt ferrum, vel aurum, vel æs, ex violento fervore erumpere, ideoque in corporibus æſtum excitare noxamque adferre. Paullus ſane Ægineta lib. 1 cap. 52. cum calidarum aquarum ſeriem recenſet, etiam ferreas iis adnumerat. Rhaſis etiam

tiam ultimo libro continentis ait, ferrum eſſe calidum & ſiccum in gradu tertio, nititurque autoritate Meſves; Quin & Halyabbas in quinto theoricæ cap. 4. dicit aquam ferri ſiccare, multumque calfacere, idque non aquæ, ſed ferri ratione. Tota denique poſt Dioſcoridem, Aetium, Paullum, ipſoſque Arabes Medicorum ſchola ferro hepatis, lieniſque obſtructiones aperit: at apertio caloris eſt ſoboles. Montagnana vir longe doctiſſimus dicit ad præfocationem uteri ex flegmate viſcido nil præſtantius eſſe aqua chalybeata: itemque in ventriculi intemperie frigida, quod ſane poſt ipſum multi in ſecretis numerant. Fallopius priorum argumentis victus in anguſtias redactum ſe clamat; tandem dicit pro una caloris parte, viginti eſſe frigidas, ideoque actu ſemper refrigerare. Mihi poſteriorum rationes firmiores videntur, minimumque ponderis priorum argumentis ineſſe; ut mirer doctiſſimum Fallopium tam imbellibus armis debellatum. Nam autoritates Ariſtotelis & Galeni ipſæ ſe collidunt; cum dicunt omnia metalla à frigore coaleſcere, & tamen multa eorum calida eſſe cuivis notius eſt, quam ut diſputationem mereatur.

reatur. Argumentum à ſiſtendis fluxibus dubium eſt. Mihi conſtat quendam in Gonorrhœa per totum menſem croco Martis elaboratiſſimo uten tem, nec hilum profeciſſe, qui tamen aliis remediis facile convaluit. Si cui in fluore muliebri, aut dyſenteria profuit, non id fecit humores condenſando quod frigida facere amant, ſed calore ſuo aperiendo, & cauſam morboſam fluxus præcipitando, per accidens ſive ſecundario, fluxus vel uterinos, vel alvinos ſtitit: nam & in vulneribus vidi ſanguinem pulvere ferri à peritiſſimis Chymiſtis præparatiſſimo plena manu affuſo, nulla ratione ſiſti potuiſſe, hominemque ad Orci fauces duxiſſe, qui tamen colcothare cum fungis minimis (crepitus luporum vocant) parato adhibito, momento ceſſavit, hominemque biduo & binoctio cum morte luctatum vitæ reddidit, præter ſpem ſedecim Chirurgorum, qui nec ferro candenti per horam ſolidam me præſente admoto, quicquam profecerant. Quod de ſiti extinguenda afferunt: incertiſſimum eſt, & conſtant aqua actu frigida, etiamſi potentia calfaceret, non minus quam vino, ſitim optime extingui. Maneat ergo ferrum eſſe calidum. Hinc

ergo

ergo fontes ferruginei, ſulphurei, nitroſi, aluminoſi audiunt, prout hujus illiuſve interranei dotes, ſupra alias ſibi induerunt. Quin videre eſt quoſdam in quibus eminens ſubterraneum ægerrime dignoſcas. Ita de Empſenſibus aquis, Chymiſtarum noſtri ſeculi Coryphæus piæ memoriæ Erneſtus Princeps meus, aluminoſaſne an nitroſas vocaret, dubitavit. Et in Suevia Uberlingani diſputant; plumbeum ne, an æreum fontem ſuum indigitent. Ita Lucenſes aquæ de villa, modo ab Italis ferratæ, modo aluminoſæ vocantur. In aliis maniſeſtiſſime plura metalla notare eſt, ut de noſtris infra patebit.

Cap. IV.

Cætera Acidorum Fontium contenta.

MEdici medicatorum fontium contenta ſcrutaturi mineralia, vel balneo Mariæ aquam exhalant, vel vitreis organis ipſam diſtillant. Prior modus quia à fuligine, favillis, atomis, vix ſibi immunitatem tutam præſtare poteſt, incertior eſt. Alterius uſus crebrior, veritatique eruendæ aptior. Reſtibiles à diſtillatione fæces, (ſemper enim quanquam limpidiſſimi aliquas

deponunt) quinque fere modis metallica contenta produnt, Colore nimirum, ſapore, odore, tactu, virtute denique ſeu operis efficacia. Sali nitroque color albus eſt, vitriolo viridis, auripigmento flavus, ſulphuri flavo vireſcens; rubet Ochra, palletque, aliis alia palliantur coloribus. Sapor nitri ſalſus eſt, & amarus vitrioli ſalſus & acris cum roſiuncula: aliud alia ſapiunt. Ut promptius diſcerni hæc commode poſſint, fere candenti injiciuntur laminæ, ubi quod funditur ut lac, alumen eſſe perhibetur. Calx & marmor non liqueſcunt, ſed candore novo fucantur, gypſum ocyſſime albeſcit, ſulphur liquatur, ſuoque odore, ſe noſcendum præbet. Sal ſtridendo pateſcit. Sal nitrum ſine ſtridore præterlabitur fluendo: plumbum, lithargyrumq; ruborem ſibi induunt. Vitrioli & aluminis examen aliqui hac ratione ineunt: Aquam cui aliquod horum in vaſe ſtanneo, vel æneo incoxit, ad medietatem pari quantitate aquæ, quæ gallas decoxerit eodem decremento, remiſcent. Quod ſi aquæ mixtæ nigreſcant, vitriolum certo ineſſe aquis medicatis adſeverant. Hoc ex Fallopio deſcripſit Eſchenreuterus, tacito autoris nomine. Expe-

perimentum iſtud negat Ioannes Bauhinus certum, omninoque fallere, niſi ferreis vaſis incoquantur, & ſic decoctis, gallarum decoctum injiciatur. Tum enim commiſtas jucundo ſpectaculo in nigrorem ſurgere, ut vel hinc quis colligat me recte infra cenſuiſſe excrementa bibentium has aquas, non à vitriolo, ſed à ferro nigreſcere. Quanquam alumen, adſtrictione ſatis ſe expertis demonſtrat, ſunt tamen qui Breſilium lignum, aquæ fontis dum colorem trahat, incoquunt, cui aquæ reſiduum decocti fontis dum miſcent, ſi aluminoſa ſit aqua, Breſilium longe ſit coloratius. Ferrum, æs, aliaque metalla ægre cognoſcas, niſi ex corruptione ſedimenti, quo in proprium excrementum verſo, in metalli unde ipſum excrementum fluxit,cognitionem venies. Sedimentum autem vel aceto acri,aut aqua rodenti prompte corruperis. His enim liquoribus, vel ſiccatis, vel abſumptis, in ſuperficie ſedimenti excrementa notanda, in quibus ærugo, æs: ferrugo, ferrum ineſſe aquis ſignificabit, quod ex limaturis utriuſque metalli eodem modo corruptis diſcere eſt. Cæterum virtus operiſque efficacia maniſeſtiſſime hæc fonti-

busin eſſe convincit. Quo fit, ut plerique delineatos diligenter negent fontes, niſi mineralium ſingula quæ ipſos dotibus augent eximiis, quibuſque virtutem ſuam, ac energiam debent, deſcribantur, quod quando in prima editione conſulto omiſſum eſt, hic obiter quatuor fontium ſingularia proſequar, ne in acidorum hiſtoria fontium quicquam deſideretur. Ordiamur à vitriolo, à quo fontes, vel ſolo vel præcipue aceſcere c. 7. probavi. Dioſcorides lib. 5. cap. 74. vitriolum ait adſtringere, calfacere, cruſtas inducere, latas ventris tineas drachmæ pondere voratum, aut cum melle linctum necare, vomitumque ciere: ex aqua potum adverſus fungorum venena auxiliari, purgare caput aqua dilutum, & in vellere naribus inſtillatum. Non poſſum quin Lectorem moneam. Dioſcoridem de crudo, nulliſque Chymicis præparationibus adulterato vitriolo capiendum. Ut enim hoc lib. non ſemel docui, tuto ad lumbricos argentum vivum, crebro tantum per corium tranſitu perpurgatum etiam à puerulis ſumi, cum tamen idem, vel ſublimatum, vel præcipitatum etiam parva mole ſumptum, homines ad ſepulchrum præcipitet. Sic vitrio-

vitriolum à Chymicis prave paratum (gillam ipſi vocant) vomitum funeſtum, mortemque accerſit. Vix mihi lachrymis tempero, cum cogito quendam mihi amicum, Chymiæ, omnis matheſeos & hydraulicæ artis maxime peritum, eundemque Canonicum Trajectenſem, ut ſtomachum halecibus ſalſis, ac cereviſia tenui in pagis, dum metalla ſcrutatur, ſaburratum depleret, gillam à ſe præparatam ſumpſiſſe, eodem die, quam diutius ipſum retinere voluiſſem, animam cum vomitu inſano exſpuiſſe. Vivunt oculati teſtes multi & ipſi Canonici, quorum rogatu cum ſectioni cadaveris præeſſem, ipſo die Veneris ſancto, ventriculum tribus locis tantum non perforatum ad latitudinem daleri Philippici inveni, reſtabat tenuiſſima exterior tunica, cui gilla adhærebat, & ipſam eroſura, niſi egreſſa anima, calor naturalis miſerum deſtituiſſet. Totum ventriculi corpus aduſtum purpureo colore, omnium in ſe oculos advertebat, animoſque à gilla, & aliis id genus peſtibus ſerio avertebat. Res accidit anno Chriſti 1608. menſe Aprili. Redeo ad vitriolum quod Matthiolus in Commentariis loci citati dicit, tuto ad tineas, & fungorum

venena dari, etſi erodens, & ſepticæ facultatis habeatur. Mihi ſane bonis ægrorum rebus ſæpe eo uti contigit, ut & alumine, in febribus tam contagioſis, quam contagii expertibus, ſimpliciter bis, ter, aqua communi lotum propino ad duos ſcrupulos, vel ut vult Dioſcorid. aliquando ad dragmam aſſcendo. Gal. ipſi adſtrictionem inſignem & calfaciendi virtutem adſcribit, quo fit, ut quæ veræ, ſinceræque aquæ vitriolatæ ſunt, potentia quantum aliæ minerales aquæ nullæ, calefaciant, exſiccent etiam, conſtipent, & contrahant. Quæ vero mediocriter chalcantoſæ ſunt, eadem poſſunt quæ aluminoſæ & acidæ, iis tamen promptius penetrant, potæque per urinam, & alvum egregie purgant, eaque præſtant, quæ de his fontibus dixi; quæ jam repetere ſuperfluum fuerit.

Bitumen, ſeu ſuccinum liquidum, his aquis ineſſe eodem argumento probari poteſt, quo idem cap. 7. Spadanis omnibus ineſſe convici, innatat enim huic fonti per noctem adſervato, tela Iridis coloribus variegata, quæ & flammam ſulfure luculentiorem edit, & guſtus in illa, ſuccini ſaporem agnoſcit. Mihi ad alia properanti ſuccini diverſa

verſa genera explicare non eſt animus, multo minus an carbones noſtri Leodienſes, quos veterum ampelitidem eſſe terram manifeſtiſſimum eſt, in ſuccinorum claſſem adſcribi debeant: ſatis erit ex Dioſcoridis lib. 1. c. 85. huc retuliſſe, bitumen diſcutere, glutinare, emollire, ab inflammationibus tueri, vulvarum procidentias, ſtrangulationeſque olfactu, ſuffitu, impoſitu, emendare, comitiales morbos ſuffitu deprehendere, muliebres purgationes cum vino & caſtoreo potum elicere, tuſſim veterem & anhelitum juvare, ſerpentum morſibus, coxendicum laterumque doloribus auxiliari. Cœliacis in catapotio devorandum dari, cum aceto potum ſanguinem concretum diſcutere. Dyſentericis cum ptiſana liquatum infundi: diſtillationibus ſuffitione mederi, oblitum dentium dolores mitigare, concalfactum lethargicis, articulorum doloribus cum farina hordeacea, nitro, & cera illitum prodeſſe. Gal. lib. 10. ſimpl. bituminis vim tum calfactoriam, tum reſiccatoriam omnem ſecundo ordine dicit. Germanos ad oculorum ſuffuſiones, & albugines, maximo ophthalmicorum commodo adhibere vidi, itemque ad lepras, lichenas, corporumque pruri-

tus. Tabernæmontanus cap. 40. part. 2. longe plura addit, quæ qui volet ab eo petat. Salem acidis noſtris ineſſe omnes conſentiunt. Dioſcoridi autem lib. 6. cap. 126. ſal adſtringit, abſtergit, extenuat, expurgat, diſſipat, reprimit, cruſtas inducit, atque à putredine vindicat, admiſcetur medicamentis pſoras abſtergentibus, excreſcentias in oculis reprimit, & pterygia conſumit, cæteraſque carnis extuberationes tollit. Clyſteribus infunditur, diſcutit laſſitudines ex oleo illitus, contra hydropicorum tumores auxiliatur, dolores in ſaccis fotu mitigat, & pruritus ſedat ex oleo & aceto infrictus dum ſudent. Item lichenas, pſoras, lepraſque. Anginam ex melle, aceto, & oleo illitus levat, tonſillis uvæque cum melle toſtus, ulceribus in ore manantibus, gingivis, quas tumor vexat, & phagedenis ulcerum cum polenta crematus illinitur. Adverſus ſcorpionum ictus, cum lini ſemine, contra ſerpentum morſus cum origano, melle, hyſſopo, adverſus ceraſtem cum cedria pice, aut melle, auxiliatur, contra ſcolopendræ morſum cum melle, & aceto, adverſus veſparum ictus, & teredines, albidaſque capitis puſtulas, thymos, & tubercula, cum ſevo vitulino:

no: furunculos cum uva paſſa, aut ſuillo adipe, aut melle diſcutit: teſtium tumores origano & fermento maturius concoquit: Crocodilorum morſibus auxiliatur, tritus in linteolo, & intinctus aceto, ita ut vinculis loca conſtringantur; prodeſt ad beſtiarum morſus, & ad ſugillationes in facie ex melle. Contra hauſtum opium, & fungos cum aceto mulſo bibitur, luxatis imponitur cum farina & melle, ambuſtis igni cum oleo impoſitus, puſtulas erumpere non patitur. Podagricis item imponitur, & aurium doloribus cum aceto, ignes ſacros aut ulcera quæ ſerpunt cum aceto, aut hyſſopo illitus, ſiſtit. Recentiorum plerique ea ex Dioſcoride tranſcripſerunt, paucisque verbis non mutatis, ſed tranſpoſitis ſui juris facere voluerunt. Breviſſime & veriſſime, Fallopius de Thermis cap. 9. Aqua quæ habet in ſe ſuccos ſalis, ſi aſſumatur in potum, detergit, roboratque valde ventriculum & evacuat abundantiam humoris pituitoſi, nec lædit aliquod viſcus. Et cap. 11. aquæ medicatæ aptæ ſunt ad potum, præcipue nitroſæ, & ſalſæ, quia præterquam quod calfaciunt, exſiccant etiam, expurgant & roborant, laudantur etiam ab antiquis.

Nam Antyllus, & Ætius adhibebant in affectibus corporis interioribus, imo dicunt quod applicitæ exterius, faciunt ad fugandos morbos interius.

Sulphur, eodem auctore teſte lib. 5. cap. 83. & junioribus quibuſdam, calfacit, concoquit, & celeriter diſcutit, emollit, exſiccatque. Prodeſt tuſſibus ſuſpirioſis, purulenta extuſſientibus, ex ovo ſumptum, aut ſuffitum. Præterea partum ſi uratur nidore extrahit. Lepras, lichenes, ſcabros ungues cum therebintia miſtum aufert, cum aceto autem illitum, ad lepras efficax eſt, vitiligines tollit, ſcorpionum ictibus addita reſina medetur, cum aceto vero, draconis marini, ſcorpioniſque plagas ſanat, pruritus toto corpore erumpentes, cum nitro deterſum ſedat, regium morbum emendat, inſperſum fronti cochlearis menſura, aut in ſorbili ovo ſumptum. Facit ad gravedinem & diſtillationes, ſudores quoque conſperſum inhibet. Podagricis cum aqua & nitro illitum conducit. Gravitatem auditus raptim ſuffiti nidore per fiſtulam hauſto ſanat. Lethargicos ſuffitu excitat; erumpentem undique ſanguinem ſiſtit; contuſis auribus, cum vino & melle inditum, medetur; potu & balneo

neo pravos in cerebro redundantes humores, omneſque totius corporis defluxiones frigidas deſiccat; cordis palpitationem à frigidis humoribus curat, cachexiam emendat, viſum roborat, utile ad artuum ac juncturarum dolores à venerea lue profectos: hydropem frigidum exſiccat, pituitoſos & craſſos flatus exſolvit, ſteriles Mulieres fœcundat, matrici tumenti & induratæ auxiliatur.

Alumen quod Spadanis ineſſe diximus, ex Dioſcoridis & poſteriorum ſcriptorum mente vim habent excalfaciendi, & expurgandi quæ caliginem pupillis oculorum offundunt, genarum carnem, cæteraſque excreſcentias extenuat, putreſcentia ulcera compeſcit, ſanguinis fluxum ſputumque inhibet, gingivas humore prægnantes comprimit, motus dentium cum aceto & melle firmat, prodeſt cum melle ulceribus oris, eruptionibus papularum, & fluxionibus cum ſanguinalis herbæ ſucco. Lepræ convenit cum braſſicæ foliis aut melle coctum, item pruritui & unguium ſcabritiei, pterygiis, pernionibus aſperſum cum aqua. Valet cum aceti & gallæ pari pondere crematum, ad phagædenas ulcerum, & cum

ſalis duabus partibus, ad vitia quæ paſcunt. Furfures cum pice & ervo illitum abſtergit. Ad lendes, pediculos, ambuſta, cum aqua illitum auxilio eſt. Contra tumores & grave alarum inguinumque virus illinitur. Aqua aluminoſa menſes nullo fluentes ordine, fluoreſque menſium albos emendat, vomitum compeſcit, nauſeam tollit, urinæ incontinentiæ ſubvenit: obeſos extenuat, oſtocopon luis venereæ tollit, varicibus conducit, obſcænarum partium ulcera, ſcabiem, pruritumque intolerandum compeſcit, ſcorbuticorum incommodis optimum remedium eſt.

Miraberis Lector, primis Diſcoridem verbis dicere, alumen vim habere excalfaciendi, & ſtringendi, quæ verba pugnam manifeſtariam continere videntur; eſt enim, ut docent interpretes Ariſtotelis ad capitulum ſecundum, ſecundi de Generatione, calidi rarefacere, frigoris verò condenſare, ſeu adſtringere, quod etiam quarto ſublimium ſæpe repetitur. Quomodo ergo vir quo pauci melius de re Medica meriti, eidem rei tam pugnantes adſcribit virtutes? Reſpondeo, alumen & aquas aluminoſas qualitatibus conſtare contrariis, in eodem tamen ſe ſubjecto ob remiſſio-

nis,

nis, ac intenſionis diverſitatem toleranti-bus. Conſtat ergo alumen partibus mediocriter calidis, & valde ſiccis; præterea inſignite frigidis, & potenter adſtringentibus, eoque nomine aquæ aluminoſæ, primo guſtu ſaporem adferunt prædulcem, ac tenuem, pungentem linguam, demum ob qualitates ſiccas, & frigidas, in amarulentum deſinunt, ac valde adſtringentem, ſed hæc alibi fuſius.

Boli, ſeu rubricæ, quam in omnibus ferme acidis reperire eſt, hæ vires creduntur, omnes hoc illi familiare aiunt, quod exſiccet, aſtringat, eaque ratione venenis in cor ituris viam præpediat, proindeque omnibus alexiteriis, dyſentericiſque remediis miſceri. In emplaſtris, exſiccantibus, & adſtrictoriis ejus uſus maximus, alvum ſiſtit, & ſumpta & clyſmate injecta. Iecinoris vitio laborantibus utilis. Qua de re Gal. lib. 6. Simp. multa: qui cum in omnium manibus ſit, non eſt cur ex eo deſcribendi laborem ſumam. Mihi in putreſcentibus oris ulceribus maximus ejus uſus. Item iis quibus ex capite in thoracem defluxio incumbit, adeo ut φθίσις principio laborantes multum inde juvari comprererim, cum etiam fiſtu-

las,

las, quæ difficillime ſiccantur, hoc uno remedio ad cicatricem duci conſtet. Toxicis, philtris, veneniſque adverſatur omnibus: peſti ipſi, qua nihil tetrius, ab irato Deo Regius pſaltes impetrare auſus fuit, fæliciſſime reſiſtit, vel nondum ea occupatos præſervando, vel jam laborantes è Cerberi faucibus eripiendo. Cordi unice ſtudet, cerebrum reficit, viſcerum malis ſtrenue adverſatur; Cephalalgiam pœne omnem, cardialgiam, cordis palmum, oculorum inflammationes, lippitudines, fluxiones curat; hæmorrhagiæ cuivis, vel ex arteriis fluenti, ita prompte ſuccurrit, ut nulli alteri medicamento cedat. Catarrho, ſeu in rheuma, ſeu in coryzan degeneret, inimicatur. Hypercatharſeos optimum ſufflamen, ambuſtis vel aqua, vel igne, vel metallo liquato, ita ſuccurrit, ut & puſtularum incrementum prohibeat, vulneribus, ulceribus novis juxta ac antiquis, optatum remedium. Anginæ aliarumque partium internarum inflammationibus præſentaneum eſt auxilium, ad ſcabiem fædam, curatuque perdifficilem, malaque quæ ſudore egent accommoda.

CAP.

Cap. V.

De Spadanis Fontibus ſigillatim.

COlumella lib. 1. cap. 3. neminem noſtrum ait, vel proſperæ, vel adverſæ valetudinis vitam prorogare ſine aqua, putatque aquam dictam *à qua* fiunt omnia. Et ſane ſi Ariſtoteli primo Phyſicæ auſcultationis cap. 2. & Senecæ naturalium lib. 3. cap. 12. credimus, Thales omnium rerum principium, unam aquam poſuit. In quam etiam ſententiam deſcendit Empedocles, qui omnia ex aqua fiere credidit. Et Hippon quidam apud Ariſtotelem lib. 1. de Anima cap. 2. animam vocavit aquam: quamvis aquæ nomine ſemen ipſum intellexiſſe multi putent. Ipſus Hippocrates principia vitæ Aquam & Ignem poſuit: & ſane cum multa animalia igne carere poſſint; aqua quod ſciam nullum, ſi modo diu & bene vivere debeat. Verum hæc encomia Spadanis aquis, aliiſque medicatis, adſcribi debent, nam vix annoſiores homines, ſub noſtro cælo, quam Spadanos inveneris. Quare ſi quod ait Palladius lib. 10. rei ruſticæ cap. 4. certiſſima aquarum æſtimatio ab accolarum incolumi-

lumitate petenda eſt, Spade autem inquilini morbos pleroſque, niſi quos in advenis vident, ignorent: capite, pulmonibus, præcordiis, renibus, &c. valeant: eorum aquas optimas eſſe, certiſſimum eſt. Quod idem de aliis Germaniæ utriuſque locis, horum fontium innumeras ſcaturigines exhibentibus, dictum velim. Etſi autem acidorum fontium, & Spa, & quod reliquum eſt Arduennæ, magnum expleat numerum, duos tamen, qui mihi præſcripſerunt, maxime commendant; Savenirium & Pouhontium: quæ nomina, ſine nomenclatore, nec ipſe Latinæ eloquentiæ pater, caperet Cicero; cæterum quando & ipſe monet, *re intellecta, nos in uſu verborum faciles eſſe debere*, conſueta, totique jam Europæ nota retineamus vocabula. Savenirium, quaſi Sabinirium, à Sabino Romanorum Tribuno caſtra ibi metante. Pouhontium à vernacula voce *pouher*, Gallice *puiſer*, id eſt haurire derivant. Unde forte & Latinorum putei, quos tamen Goropius à Cimbrorum *putten*, quod ipſis etiam haurire eſt, commodius quam alia derivaret. Savenirius horæ ſpatio à pago Orientem verſus ſejunctus, è ſaxo ſaltuoſi erumpit collis, vixque

que duas cavo lapide excipit amphoras, ut ego bicongium ſæpe nominarim. Alter Mediaſtinus pagi, foriquе meditullio eleganti clauſus marmore, pluſquam quatuor orcarum capax, quotidianæ ſiti explendæ, etiam æſtuante Sirio ſufficit, & tamen infinitæ in dies lagenæ ex eo implentur, in vicina Eburonum loca, Brittanniam, Hollandiam, Galliam, Germaniam, Italiam ipſam mittendæ. Uterque inſigni ſed grato acore commendabilis, cum miracula quæ in Medicina fieri dixit Celſus, pluria ediderit: multos ex Æſculapii Lyceo, in Spadana ſenticeta pellexit, qui tot ſupernaturalium effectuum cauſas, acri ingenio ſcrutarentur. Quo in ſtudio Geringus, Ryetiuſque, Philippum Bezanſonium Pariſienſem Medicum, in laudis partem advocant, qui Galenicis Chymiſtarumque artibus apprime inſtructi, diſtillatoriis organis has aquas, ad ſua revocantes principia, compererunt Savenirium, rubricam ſeu ferri matrem, ochram, æs, ſulphur, vitriolum, nitrumque imbibiſſe. Pouhontium autem ferri, æris plumbi, chalcanthi, ſulphuris, aluminis, nitri, ceruſæ viribus imbutum. Notat Ryetius Bezanſo-

zanſonium putaſſe, quod etiam ex aliorum opinione recitat Frambeſarius, & aurum vim ſuam communicaſſe Savenirio; ſe vero, cogitantem, Arduennam auro gignendo ineptam, denuo majori ſtudio chemicis inſtrumentis has aquas ſegregaſſe, erroriſque cauſam comperiſſe, quod ſulphur colore auri æmulo, vaſa inter coquendum tingeret. Cui ſententiæ ut facile ſubſcribam, facit, quod in Arduenna duos trientes anni hyems occupet, Solemque auri patrem, vix trimeſtri ſentiat. Accedit, quod Arduennates, natalis ſoli pertæſi, ima ejus penetrarunt viſcera, nec tamen auri ramenta unquam effoderunt. Præter hos duos fontes Ryetio & prioribus deſcriptos, duo alii hoc vicennio celebrari cœperunt. Geronſter qui jam tum Ryetii tempore innoteſcebat, & Tonnelet, cui hoc nomen factum, quod ligneo vaſe, Tonnam vocant indigenæ, claudatur. Sed hi duo fontes immane quantum à ſe diſcrepant: Geronſter meridianam Spadæ oram tenens, horæ ab ea ſpatio diſtat, omnium ſupra citatorum metallorum potens; cæterum Chalybis in eo primatum vires tenent, quas odore, ſapore, aliiſque experiundi viis admotis, faci-

facile percipies : acri nidore inter bibendum naſum ferit, ipſum caput chalybeo, & quaſi ſulphureo odore implet, ebrietatem quadrantariam, vel ſemihorariam iis qui debiliori ſunt cerebro, momento inducit; ſtamachum, alvumque turbat multis, quo fit ut plerique iis potis, ſæpius, etſi partem vomitu reddiderint, alvina excrementa deponant, priuſquam domum redeant, & tamen non ſegniter urinam reddant. Tonneletius medio inter Savenirium, & Pouhontium, ſed ad latus lævum deflectit, fere itinere, in plano, ſed uliginoſo,paluſtrique,omnibus Jovis Æolique injuriis expoſito, coivit loco. Nam Savenirium,&Geronſter arbores opacant, nativæque rupes commoda poturis ſedilia præbent. Pouhontius pulchro undique ſuperbit marmore, ſedibuſque lapideis bibentium ſeu ignaviam, ſeu laſſitudinem levat. Sale nitro cæteris hic multo tinctior, quo fit, ut guſtu frigidiſſimus ſit, longiuſque à vitrioli, ſulphuriſque dotibus abeat. Verum hac de re infra ſigillatius. Sed quando ſupra diſtillationis facta mentio; diſtillavi & ego ante 17.annos hos quatuor fontes, cum doctiſſimo Medicorum Illuſtri Viro Domino Guilhelmo

Pad-

Paddii, Equite & Medico Regis magnæ Britanniæ, & Domino Richardo Androes ſocio ipſius & viæ & artis, neque in fundo vaſis nitidiſſimi (Nam quidquid aquæ effluxit, phlegma dulce fuit, & ingratam calcem ſapiens, & quod quivis horreret) præter rubricam matrem ferri, ochram, tantillumque vitrioli invenimus: præterquam quod diſtillata aqua Geronſter, in fundo, maculæ unguis magnitudine erant; quæ cuivis ſulphur videbantur: cæterum laminæ candenti injectæ, non liquefiebant, quod tamen ſulphuri ab aquis thermarum Aquenſium relicto (nam & illas iiſdem organis diſtillavimus) accidebat; itaque poſtmodum prudentiores chalybem eſſe judicavimus, qua in ſententia confirmor, cum chalybe præparato in aquam communem injecto, in illa eundem quem in Geronſterii fonte ſaporem, & odorem experior. Quomodo ergo hæc mineralia his aquis miſta ſint cap. 7. diſputabo. Gæringo autem & Ryetio peritiſſimis Medicis, Savenirium diſtillantibus, apparuiſſe Sulphur, non item nobis, ſi quis mirabitur, legat Doctiſſimi Libavii epiſtolarum Chymicarum paginam ultimam, cujus hæc ſunt verba de fonte Bernheymenſi, *Ali-*

qui-

quibus apparuit aliquid ſulphuris, mihi vero nihil, & fieri poteſt, ut diverſis temporibus, diverſæ ſe promant mineræ. Hanc Libavii ſententiam quotidiana microcoſmi experientia confirmare auſim: nam quidam ſabulo vel arenis multum vexati, ſæpe urinas (quibus nihil fallacius) Medico oſtendunt limpidiſſimas, imo multos novi, quos cum ex ratione victus, & doloribus ea regione fixis, certo nephriticos judicarem, nec illis perſuaderem, juſſi ut capacem matulam, totos quinque, vel ſex dies quicquid mingebant colligerent, ita demum limpidiori, & ea quæ innatabat urina abjecta, in fundo vel ſtatim, vel poſt evaporationem, arena ipſaque imminentis calculi materia, ſe prodebant. Si urina totius ſerum ſanguinis, in renibus ſecreta & collecta, non ſemper quod in illis etiam copioſe continetur ſecum vehit, cur non & fontes aliquando aquam raptent ſinceriorem; uno, aut pluribus mineralium ſuorum, ad tempus diſſimulatis? Urinam calculoſorum ut talis appareat, totos ſeptem dies debere adſervari, mucum item ovi magnitudine una mictione reddi ex Cardano recitat Fonſeca libro 1. cap. 14. de calculis. Accedit

quod

quod fontes non ſequantur certam ac ratam, multoque ævo definitam naturæ originem: ſed fortuitis mineralium concurſibus obnoxii, inordinate mixtorum conditione, mixtioneque utuntur. Fortuna enim caſuſque magnum in aquas jus habent; eademque ejuſdem fontis aqua, diverſis temporum intervallis, acceſſu, receſſuque diverſarum minerarum, diſſimillima ſibi prodit, effectuſque humano corpori varios conciliat. Sæpius itaque & diverſo tempore diſtillandus fons, ut ſubterranea in eo latentia probe noſcantur, quod, ſi Deus vitam ſuppetet, proximo à me anno fiet, ut & ſæpius hoc ſexennio factnm eſt.

Cap. VI.

Diſcrimen horum quatuor fontium.

IDiotæ, qui ſolo ſapore aquas diſcriminant, omnes acidos fontes in eandem claſſem referunt, rati hoc ipſo quod aceſcant, earundem eſſe virium: ignari multum differre, unam ne, an plures ſecum mineras vehant, clarine an turbidi. Foſſilium ſubſtantiam, an vapores tantum, aut ſpiritus ſecum raptent. Aliter Philoſophi & Medici,

ci, inter quos convenit, omnes qui in Spa fontes, foſſilia ejuſdem naturæ continere: diſpari tamen quantitate; ita ut alter alteri proportione certa præcellat, eximiiſque in re medica dotibus palmam præripiat. Cæterum quando Majus & Minus, ut ait Philoſophus 7. auſcultationis Phyſicæ cap. 4, ſpeciem non variant, tantumque excellentiæ diſcrimen relinquunt, videamus cui primas in hac quadriga demus; Savenirii aqua, exhalationibus ſeu tenuioribus foſſilium ſpiritibus referta, levior eſt aliis quibuſvis aquis, etiam per chemiſtarum organa diſtillatis: Foſſilium enim vires magis quam ſubſtantiam ſibi induit, quo fit ut per corporis venas promptius meet, maturiuſque vim ſuam diureticam exerat quam alii. Unde etiam ab ortus ſui loco niſi diminutis viribus transferri poſſe non creditur, adeo ut procul delatus levitatis multum perdere, graviorque effici putetur, eductis nimirum ſpiritibus aquam leviorem reddentibus, quibus amiſſis ponderoſiores cadaverique ſimiliores effici neceſſe eſt. Decedere etiam quantitati aquæ, nam vaſe optime obturato, nec ulla gutta dilabente, ſi fons hic alio transferatur, minui, quia ſpiritu

turgen-

turgentia, plus loci, quam eo privata occupare amant. Frambeſarius doctus Chriſtianiſſimi Regis Medicus, ſcribit ſe bidui itinere abſentem, 48. lagenas Pouhontii, 12. Savenirii afferendas curaſſe, illas aciſſimas ſe guſtaſſe, has vero nihil à communibus diſcrepaſſe, cum illæ pleniſſimæ eſſent, hæ non item, ut quibus ſingulis aquæ vitrum deceſſerat, cum tamen utræque apud ſuum fontem, & eodem modo, ab eodem homine picatæ & ſubere obſeratæ fuiſſent. Hæc hactenus maximis viris credita & ſcripta, quia priori editione publici juris feceram, hic repetenda cum emendatione duxi. Nam toto hoc vicennio contrarium mihi videre contigit. Et norunt multi Sedanenſes qui Bullonio Duci ex Savenirio plurimas quotannis lagenas hauſerunt, integerrimas eo deferri. Hoc biennio Principes fœminæ adſtantibus mecum doctis Medicis, ad lectum Savenirium deferri curantes, negabant quicquam illi aciditatis deceſſiſſe; eundemque quem ipſa habet in ſcaturigine, ſaporem conſtanter retinere, etiam nos adſerebamus. Quo fit ut jam plerique Leodienſes aquas ex ſolo Savenirio petant, quas tota hyeme bibunt, cui rei ſi opus fuerit,

rit, plurimos fide digniſſimos, teſtes laudabo. Ita ut optimo Frambeſario, aliiſque ab infidis bajulis impoſitum putem. Pouhontium quovis transferri cuivis conſtat. Ego ſane ante ipſos triginta duos annos, ducentas exeunte Aprili implevi lagenas ex Pouhontio, quas in Angliam Illuſtriſſimo Chriſtophoro Harlæo Comiti Bellemontio, Chriſtianiſſimi Regis ad Jacobum magnæ Brittanniæ Regem Legato detuli, eaſque nihilo deteriores, quam in ipſo fonte, cum prælibarem Domino poculum, (eram enim ipſi Medicus domeſticus) inveni. Geronſter huic operis celeritate nil cedit. Imo in multis ſuperat, nam & inter bibendum ſæpe ſecundo, tertioque hauſtu, ventriculum vomitu deplet, multo ipſum tenacique flegmate levat. Sæpe inteſtina pondere ſuo liberat, ſæpius etiam urinam quibusdam ciet, & ſi qui ad vomitum tardiores ſint, eos ſudore non moleſto, ab egerendi ſcilicet conatu, perſundit. Et hic quia transferri commode poteſt, minimumque virium amittit; plurimum ſubſtantiæ metallorum ſecum trahit. Pouhontius mineralium & ipſe plerorumque particeps, ſed magis terreſtrium, cum aliis in montium cacu-

mine poſitis vallem occupet, ideoque utrique levitatis palmam relinquere creditur, pigriuſque potentiam ſuam, ut nunc ſumitur exerere, etſi & hic quia ſalis petroſi plus continet, inteſtina Savenirio citius, tardius Geronſtro, ſtimulat. Certo tamen ſcio quod ſi ad Pouhontium tam exercitato, quam ad alios ſupradictos veniretur corpore, eum nihilo ſegnius Savenirio aquas moturum, quod & in me, & in aliis conſilio meo uſis, qui ipſum poſt horarium exercitium bibebant, expertus ſum. Quæ cauſſa eſt cur nunc plurimi, Savenirio neglecto unius Pouhontii aquas utiliſſime bibant. Tonneletius minus prædictis vitrioli & ſulphuris, plus ſalis nitri (quem cum ſale petræ idem eſſe dicit, poſt multos alios, qui primus de his fontibus ſcripſit Gilbertus Lymborche) nam pleraque alia communia cæteris habet hic fons, etſi longe imperfectius: tum quia nativa uligine & cæno facile ſordeſcit, tum quia omnes imbres momento, capaciſſimo vaſe ligneo, & nulla re obſiſtente, combibit. Hic, quod in priori editione omiſſum, ſerio duo monendus mihi lector. Primum: Cum levitatis aquârum diſcrimen inimus, ne quis erret, aut

magni

magni ponderis intervallo diſtare aquas putet. Libravi aquas Savenirii, & cum ſemetipſis diſtillatione ſublimatis, & cum ex prope fluente rivulo petitis, & fere grano diſtare reperi, minimumque aut nihil omnino intereſſe inter aquas ex Savenirio diſtillatas, & naturales ex rivulo petitas; etiamſi Columellæ præſcripto adulta æſtate periculum fecerim: tunc enim quia pluviæ admixtionem non timent, ſinceriſſimæ ſunt aquæ. Idem feci in Anteniaco, eodem omnino eventu, ut vere poſt alios dicere poſſim, incertum, nulliuſque artis hoc examen aquarum eſſe, quodque induſtriam Medici etiam diligentiſſime munus ſuum obeuntis eludat, adſtantiumque ſpem fruſtretur. Docet hoc & Plinius lib. 31. cap. 3. dum ait: *Quidam judicant ſtatera de ſalubritate, fruſtrante diligentia, quando perrarum eſt, ut levior ſit aliqua, nullo pœne momento ponderis aquis inter ſe diſtantibus.* Expedit ergo Doctoribus qui ex Arabum doctrina aliam excogitarunt rationem, aurem præbere. Hi nos jubent duos pannos laneos lineoſque accipere exquiſitiſſime ejuſdem ponderis, aut certe goſſipii duo pondera accurate paria, quæ aquis quarum lævitas in dubium vocatur

eodem temporis momento madeſcant, dein ſollicite ſimul extracta nullo loci temporiſve diſcrimine ad ſiccandum reponantur, eique levitatis palmam deberi, cujus pannus, aut goſſypium, prius exſiccatum fuerit. Hoc enim majoris tenuitatis & quæ tenuitatem ſequitur levitatis, eſſe argumentum, utpote quæ citius evaporari potuerit. Quod & ſi hos pannos deinde ſtateræ impoſueris, in his ponderum momenta conſiderata dubium levitatis expedient. Joubertus decadis primæ, paradoxo quinto, cylindro ligneo aquis injecto certiſſimum earum levitatis judicium ſumi probat hoc argumento: quia quo levior aqua eſt, hoc & tenujor, ideoque injectum corpus facilius ipſam permeat; Graviorem efficit craſſities, ut marinam quæ hoc nomine vaſtiſſima ſuſtinet pondera. Hoc patet de lacu Palæſtinæ Aſphaltite ſive Sodomeno, à circumſtantibus ſtagnum montibus, quos Sodoma vocari ait Galenus lib.4. Simp. poſt Ariſtotelem, Joſephum & Plinium qui & teſtantur, hominem ligatis etiam manibus & pedibus in eum conjectum, non mergi. Nos in horum fontium mentione cum Galeno leviſſimam vocamus aquam, quæ hypochondria non

gravat, citoque permeat: quod ſine dubio aqua cujus ſubſtantia tenuiſſima eſt, cum qualitates contrarias facile admittat, præſtabit. Alterum quod monitum ſerio hydropotam meum velim: His annis tam in Savenirio quam in Tonneletio novus fons prodiit; & quidem in Tonneletio, quem quia vaſe ligneo minus capaci excipitur minorem Tonneletium vocant, fons eſt priore multo acrior, vehementiuſque alvinas, veſicæque ſordes deturbans: etſi vix ſeſquipede à priore diſtet: quod quotquot guſtarunt ingenue faſſi ſunt. In Savenirio, octavo à priori pede, hoc biennio alius erupit in arboris trunco, priore quadruplo capacior, cæterum ejuſdem omnino ſaporis & efficaciæ, quod qui linguæ ſuæ, operationibuſque aquam potam ſequentibus non credit; oculis ſuis ſaltem fidem habeat; certe videbit eadem rubrica ærugine, aliis mineralium coloribus, hujus ligneum, lapideum alterius alveum undiquaque obduci, ut jam pleriſque in confeſſo ſit iiſdem mineralibus utrumque tingi, nihilque inter illos eſſe diſcriminis, quia tamen veteres avias de corde revellere difficillimum eſt, multi horas totas &

& amplius, prioris Savenirii aquas exſpectare malunt; ſæpius enim in horas ſiccatur, & affluxus novæ aquæ expectandus eſt; quam ex novo, nihilo deteriorem ejuſdemque acoris & virtutis potum petere.

Cap. VII.

Unde acorem habeant hi fontes.

SI unum Helmontium excipias, qui Philoſophus ut ſe ſcribit per Ignem, ita de Aquis argutatur, ut putem ſi Sulmonenſi Vati occurriſſet, eum vocaſſet Semi-Virumque Aſinum, Semi-Aſinumque Virum. Nam illo Aſiniorem nulla Arcadia pariat. Acidos eſſe Spadanos fontes, dicunt omnes, ſcribunt multi, cæterum qui acoris hujus cauſſam redderet, ad hanc diem vidi neminem. Age ergo multis intricatam tricis quæſtionem, quantum præſentis inſtituti fert brevitas, hoc capite extricemus. Plerique veterum duabus de cauſſis aceſcere res aſſerunt: primam aieunt eſſe putridinem; probant exemplo vini in acetum degenerantis: hoc enim per putredinem fieri, cum graviſſimorum auctorum teſtimonio, tum Gal. in lib. de Simp. med. Fac. auctoritate patet: Aliam cauſam, caloris imbe-

imbecillitatem aſſignant, à quo diverſarum ſubſtantiarum partes perfecte nequeant concoqui, ut in fructibus acidis videre eſt. Ceterum neutra harum cauſarum aquis noſtris aciditatem conciliat, cum jam per tot ſecula maneant acidæ, incorruptæ tamen, lympidæ, illimes, ſinceræ, putredinis expertes, nec eſt aſſignare tempus quo in fonte corrumpi incipiant, atque à ſua illa puritate acida deflectant, quæ omnia in aliis rebus putridis minime ſolent contingere. Imo, quod obſervabile, ſi quando in penuariis male obſeratæ putiſcunt, acorem omnem contra quam ſolet vinum, cervißa, & talia, deponunt; ſaporemque aquæ communis induunt, & ruffo colore tinguntur. Non etiam cruditas & indigeſtio aceſcere cogit; quî enim caloris imbecillitatem imaginemur in re, quæ ſua natura caloris omnis actualis expers dicitur? Etſi multi, quod & ego credo, omnes acidas dum ſub terra mineras præterfluunt calidas, eo tempore calere exiſtiment, atque ab iis ulterius progreſſas, nativo ſe frigori reddere. Addenda ergo veteribus cauſa tertia, acidæ videlicet rei permixtio, quam etſi Ariſtoteles ſilentio involviſſe ut alia

videatur multa, tamen eam ſatis expreſſit, cum aquam ex accidenti aceſcere dixit. An non id quod aquæ naturam adulterat, corrumpitque, ex accidenti eſt? omni carere aqua ſapore debet, omnique calore, cum natura eam frigidam humidamque finxerit. Vitruvius paulo exactius rem docet, cum ait ſuccum natura acidum, in terris concorporatum, in ipſis aquis aciditatem facere; cæterum hujus ſucci, nec nomen, nec operandi modum exprimit: Fallop. vir doctiſſimus à quo qui thermas deſcribunt, plerumque decurrunt, etſi de fontibus pauciſſima ſcripſerit, hos tamen fontes adumbrare tribus verbis videtur, quando fontium meminit, quos corruptiſſimo nomine Stpalia nominat, eoſque aceſcere dicit quod in ſe habeant chalcantum, aliqua ex parte aſſatum, aut quia vehant aluminis quid parum exuſti. Si quis meæ conjecturæ locus eſt, putaverim plerumque ex chalcanti commixtione, acorem aquis conciliari: quanquam & ferrum & antimonium, & argentum vivum, ſaporem hunc vel quadamtenus inducere, vel inductum augere poſſint. Sæpe enim expertus ſum butyrum Antimonii, quod eſt oleum, ex pari

pari quantitate antimonii crudi & ſublimati diſtillatum, paucis guttis cuivis liquori acorem conciliare, vel parem vel majorem, quam ab oleo vitrioli expectare poſſis. Fontium tamen noſtrorum ſaporem acidum, vel ſoli, vel præcipue chalcanto deberi conjicio. Conjecturam hanc quæ rationes firmant, utraque ni fallor evidentiſſima; una eſt, quod ubi inveniuntur acidæ, ibidem aut certe locis conterminis chalcanti fodinas reperire eſt. Altera quod chalcantum ſaporis ſit acidiſſimi, quod norunt omnes Chymiſtæ, qui vel chalcanto, vel ejus oleo, aut ſpiritu, quo nihil acidius, dicto citius tincturam roſarum, acore jucundiſſimo cum febribus calentiſſimis, ipſaque peſte pugnantem, concinnant. Certus ſum quemlibet cui pituita naſum non obſtruxerit, huic conjecturæ ſuffragaturum: cæterum quomodo chalcantum ſeu vitriolum aquis ſe, aut acorem ſuum communicet, non eſt cuivis obvium capere. Tres omnino modi ſunt quibus id fieri ſolet; unus quando ipſa aquæ ſcaturigo ſeu vena, mineram adlambens, ſecum ramenta ducit ſeu mineræ excrementa: quo ſpectat illud Ariſt. in lib. de ſenſu & ſenſili: *Tales*

ſunt aquæ, qualis eſt natura eorum per quæ tranſeunt; quod longe fuſius non uno loco ſecundo ſublimium ante docuerat. Hunc à pleriſque quos legerim receptum modum, imo ab ipſo Galeno 1. de Simpl. Med. fac. ubi ait: *Quæ exacte ac ſincere aqua eſt, ſi per bituminoſa, ſulphuroſa loca diſcurrens, ſubſtantia ejus aliquid abſterſerit, ſecumque traxerit*, & quæ ſequuntur: reijcit Taberæmontanus, inquiens hoc modo, non fontes tantum, ſed & tota flumina medicamentoſa fore, cum Rhenus, Albis, Tagus, non tantum auri mineram adlambant, ſed & aurum ſecum vectent, ea copia, ut & nummis cudendis, qui etiam inde nomen trahunt, ſufficiant, multique illo colligendo occupati, ſe ſuoſque alant: Addit, tantum abeſſe ut aurei, argenteique nummi virtutem ullam aquæ cui injiciuntur communicent, ut etiam aliis citius aquæ metallis iſtis medicatæ putiſcant. Reſpondeo per mineram nos non intelligere perfectam & omnibus numeris abſolutam, & tam ſolidam, ut & ardentiſſimarum fornacum vim eludat: ſed crudam, inchoatam, & longa die niſi ab aquis rapiatur, in ſolidum metallum vi ſolis concreturam. Deinde, etſi quæ nominat,

minat flumina etiam hanc novitiam ſecum raptarent mineram tam vaſto tamen alveo, tantiſque aquarum gurgitibus ita obruerent, exiguam ejus quæ parvis ſat eſt fontibus quantitatem, ut nihil inde mutari viderentur. Cæteroqui ſcimus aurum vel argentum quod ſeptima flamma recoxerit, ut loquuntur Pſalmorum interpretes, parum vel nihil virium aquæ duraturum, ſi quis ipſum vel ſincerum, vel candefactum, ut vulgo fit, injecerit juſculis ægrorum; nihil enim illis aurum, niſi ſordes ſi quas habet, impertitur. Alter modus eſt, cum vapor chalcantinus è minera ſurgens præterlabentibus, vel vicinis, miſcetur aquis, vapores enim retinere ſaporem rerum unde elevantur, docet in 4. ſublimium Ariſtot. quo fit ut & aquæ ex iis concretæ iiſdem qualitatibus imbuantur, dulcoremque aut acorem à quibus exhalarunt, ſubterraneorum retineant. Poſtremus cum idem vapor ſuperne genitus, ex ambientis cogitur terræ frigore, & in aquam acidam mutatur, quæ demum fonti vicino mixta, totum fontem aciditate gratiſſima, & quæ palatum aſſuetum parum feriat, imbuit: & hæc ſane acidarum omnium præſtantiſſima, lympida,

pida, argentea, ſincera, minimum ab aqua vulgari, ſi aciditatem auferas, differens. Quærat quis, quonam horum modorum Spadanæ aceſcant? Hoc ſane facile cognoſcet qui leviter Philoſophia tinctus, ſolis hos fontes libarit oculis: nam Savenirius maxime pellucidus, ſincerus, tot ſæcula incorruptus manens, cui ingenioſiſſimi illud Poëtæ quadret, *Fons erat illimis nitidis argenteus undis*: certe chalcanti mineram ſecum non rapit; craſſiorem enim haberet ſubſtantiam, ipſiuſque mineræ odor, naſum vapore, non jucundo feriret, nunc autem ſubſtantia tenui, odore, ſaporeque perjucundo ſe omnibus commendat; accedit quod cum ſubſtantia mineralium craſſior, fontibus ſe miſcet, ut plurimum circa fontis ſcaturiginem lapidibus, vel tophis adhærendo ſe prodit, ut in agro Neapolitano à Puzzolo alla ſolphorata, videre eſt, ubi quæ maxime bulliente aqua feriuntur ſaxa, ſulfuris ſubſtantiam exhibent. Hoc & Aponi, & Wiesbadenſes, & aliæ Thermæ ſpectaculum præbent. Itaque alterutro poſteriorum modorum, vel quod magis credo utroque aceſcit Savenirius: quod idem fere de Pouhontio, & Tonneletio dixerim. Ceterum Geron-

Geronſter, qui omnibus emunctæ naris, ferreum & ſulphureum nidorem, ſaporemque manifeſto exhibet, virtuteſque ſulphuri, & ferro à Medicis attributas, liquido oſtendit, ſine dubio ſulphuris, ferrique mineram (primam illam necdum concretam intelligo) præter vaporem ſecum trahit. Quod utinam nummiperdæ quidam terrarum ſcrutatores, ſuo nos aliquando lucro doceant. Valeant ergo qui nugacibus moti argumentis, æris florem ſeu chalcantum, aquis noſtris negant. Si, inquiunt, his fontibus chalcantum miſceretur, egregie calerent, inſignitaque acrimonia linguam ferirent: Atqui nemo iis potis acrimoniam aut calorem, quin potius caloris levamen experitur. Huic nodo tam imbelli, facilis eſt cuneus. Dicimus enim aquas medicatas, etſi chalcanti, & aliorum viribus foſſilium rerum, quas decurſu adlambunt, miſceantur: earum tamen vires nonniſi fractas, imminutas, atque debilitatas obtinere. Maxime cum terras perlabuntur, quæ contrariarum virium mineris ſcatent, ut fit Spadanis in aquis, in quibus chalcanti fervor, frigore rubricæ, æriſque, ſat ſuperque temperatur. Fingamus chalcantum, ſulphurque

tertio gradu calere, ideone aquæ horum qualitatibus aut ſubſtantia tinctæ, eodem caloris gradu æſtuabunt? Non ita; cum videamus ſulphurearum aquarum quaſdam actu frigere, alias tepere, nonnullas fervere, ut vel ovo coquendo, vel avibus deplumandis ſufficiant, prout nimirum multum parumque ſulphuris, & à quo maxime æſtuant bituminis, admixti habent. Iam vero plurimum vitrioli Spadanis ineſſe fontibus, eoſque eo vel ſolo, vel præcipue, aceſcere, hinc patet: quod ſi certam vitrioli, etiam noſtratis portionem in aquæ cymbio diſſolveris, aut olei chalcantini ſtillatim guttas aliquot injeceris, aquam Spadanam æmulaberis, ejus guſtum lingua percipies, eoſdemque fere effectus, in levandis morbis conſequeris. Demum multi qui hanc aquam balneo maris, vel alio vaſe, quo chemici ſalium curioſi aquas evaporant, Spadanam exhalarunt, chalcantum invenerunt, ut Geringus, Ryetius, Beſanſonius, ego & alii. Denique in locis Spa vicinis prope Franchimontium magnæ ſunt fodinæ, ex quibus vitriolum ſulphurque, maxima quantitate Eburones eruunt. Commune hoc omnibus quatuor eſt fontibus, quod cum eorum

aquæ

aquæ in vaſe aliquo terreo adſervantur, etſi primo limpidiſſimæ appareant, poſt aliquot horas multicolorem iridiſque cæleſtis æmulam pinguedinem, ut in renum colliquatione, aut telæ aranearum ſimilem, innatantem habent. Hanc ſunt qui ſulphur eſſe putent, eo quod ſi exhaletur, ſulphuris, ut aiunt, mineram in fundo relinquat. Ego vero, quod puto pleroſque mecum ſenſuros, ſuccinum liquidum eſſe crediderim, vel quia clariorem ſulphure flammam edit, vel quia guſtui ſuccini ſaporem exhibet. Commune item omnibus cavum quod implent, ſive ligneum ſit ſeu lapideum, vicina item ſaxa, & quos pertranſeunt ſylanos, aut canales, rubro, vel ſubflavo colore inficere, qui nihil eſt aliud quam mater ferri, ſeu rubrica illa quam dixi. Et illud, quod omnes injectas occidunt ranas, gambaros ſeu aſtacos, quos male hic cancros vocant, piſces item minores, nam in majoribus periculum non feci.

CAP. VIII.

Quales ſint hi Fontes.

CUm ea quorum qualitates, vel ſenſus noſtros fugiunt, vel captum Rationis noſtræ ſuperant, ſcientiarum & ar-

& artium noſtrarum limites excedant, Medici aquarum, aliarumque rerum quas in uſum vocant Medicum, qualitates indagaturi, primum ſenſibus (eſt enim Medicus artifex ſenſatus) quantum poſſunt eas explorant. deinde ab earum effectis, hoc eſt ut Scholæ (cholas vocabat Scaliger) loquuntur; à poſteriori ſumpto argumento, earum cognitioni incumbunt. Qui modus, etſi prior, maxime cum ratio ſenſuum judicio ſubſcribit, certiſſimus ſit, longe priore communior, uſuique Medico cumprimis accommodus cenſetur. Hinc illa qualitatum in primas, ſecundas, & tertias trita jam in ſcholis diſtinctio; ex quibus cum formas rerum ſubſtantiales rimemur, quarum nullam tamen, ſi immortalem hominis excipias animam, novimus; aquarum noſtrarum qualitatibus omnibus penitus ſcrutandis incumbamus. Conſtat ſane omnes hos fontes actu frigidos eſſe, ac humidos, cæterum potentia calidos & ſiccos. Primum, quiſquis eas biberit fatebitur; cum ſitim jucundiſſime extinguant, quam tamen eſſe appetitum frigidi & humidi, qui Indos thermopotas non nouverat, definiverit Philoſophus. Alterum infra probabimus, cum de earum

uſu

uſu agemus. Experientia quibus hæ aquæ miſceantur ſubterranees nos docuit, cæterum qua proportione commiſceantur, quodquot mihi præſcripſerunt, ingenue neſcire fatentur; nec ſane video quî accurate ſciri poſſit quem inter calida & frigida, hæ aquæ habeant ordinem. Hoc in origine Nili, aut Democritæo in puteo, cum Veritate latet. Nimirum in luce rerum tenui, homines caligamus, in mediocri cæcutimus, in majore talpæ ſumus, in maxima inſanimus. Sufficiat ergo ſcire his aquis ferri, ſulphuris, chalcanti, aliorumque foſſilium vim ineſſe, qualitatum tamen primarum proportione manente incerta, ſive varietatem ſubterraneorum conſideres, ſive bibentium diſpoſitionem diverſam; cum hic pituitæ, ille bili flavę, aut atrę medelam quærat: ille idoneis medicamentis alvinas feces ejecerit, hic nulla prævia uſus præparatione, fontes adierit. Quæ cauſa eſt, cur diverſos ſentiant effectus, uti videmus omnia agentia æquivoca, pro varietate objecti, vel materiæ, mutare ſuas operationes. Semper tamen hæ aquæ dum bibuntur, refrigerant, & humectant. Mox calore ſtomachi domitæ calefaciunt, denique inſigniter exſiccant,

cant. Nec eſt quod ideo exſuccos quis & emaciatos his fontibus arceat, veritus ut omnino exſiccati, animam in calido & humido poſitam expellant: vidimus enim ſicciſſimos, & tantum non exſangues, viva potius cadavera quam homines, horum uſu fontium carnoſos, & bene habitos evaſiſſe. Nimirum obſtructione meſeraicarum, hepatiſque ablata, ventriculoque confirmato, meliorem chylum venis tranſmittentes, ſanguine optimo, qui facile muſculis carnem reponeret, repleti ſunt. Sed hi, ut hoc obiter moneam; ſolis clyſteribus, aut manna, vel caſſia præparandi, aliis medicamentis relictis; quanquam & mel, & ſyrupum roſaceum, vel violaceum ſolutivum ſimplicem admittere poſſunt. Hæc de qualitatibus primis. Quod ad alteras, abſtergunt, incidunt-que humores viſcidos ac tartareos, pituitamque extenuant, hepar, lienem, meſeraicas, omniaque viſcera infarctu expediut, inflammationes domant, temperiei primæ reſtituunt; ventriculum vero adſtrictione ſua ita roborant, ut milleſimus quiſque iis ex præſcripto Medici utens, nihil ſe damni ex actuali earum frigore, ſi Tonneletium excipias, percipere fateatur.

Ner-

Nervis egregie robur afflant, ſerum ſanguinis,humoreſque excrementitios,bilem, pituitam, melancholiam, non una via exturbant. Bibentium hi multum mingunt, hi ventris ſordes, atro ſemper; interdum viridi, flavo, cœruleo aliquando colore tinctas, magna in copia deponunt: vomunt alii, ſudantque, & ſtirias naſo emungunt. Narrat Fallop. ſe Aquarianas aquas bibiſſe, totoque triduo, neque alvi, nec aliorum excrementorum quicquam dejeciſſe: cæterum tertio die tam copioſe ſudaſſe, ut ſudoris ſcutellas colligere potuerit. Viſi Geringo, & poſt illum mihi, aliiſque, paralytici qui totam aquam ſcaphio redderent, interim non ſecus ac ſumpto cathartico ſecederent, & tamen toto corpore ſudoribus diffluerent, quod vellem notarent, qui varias diverſiones naturæ veriti, eidem Pharmaco, urinalia & eccoprotica remedia incoquere reformidant. Sed illos alibi. Matronas idem novit, & nos vidimus, quibus ab his aquis urinæ, menſes, hæmorrhoides ſimul fluerent. Sic in

Spadanis ludit divina potentia lymphis.

Sane hæ limpidæ, guſtu, oculiſque gratiſſimæ aquæ, tam varias, pugnanteſque

que uno tempore vacuationes provocant, quod vix ulla Pharmaca odore terra, calore horrida, ſapore abominanda præſtarent. Cum enim diureticorum quædam urinam moveant, quia multam aquoſam materiam corpori ſuppeditant, quam cum renes trahunt, ſimul humores in venis contentos rapiunt: alia idem præſtent abſtergendo humores in vaſis & renibus impactos: Hæ aquæ, quod nulli alteri medicamento datum, utrumque præſtant: abſtergunt enim & aquei ſucci plurimum, prout quiſque ingerit, præbent. Ut taceam alia quamvis inſignia remedia, non cuivis convenire: hos autem fontes, ut plurimum, omni ſexui, omni ætati, à prudenti Medico, atque harum aquarum perito, tuto concedi poſſe, qui ſequentia legerint, fatebuntur. Demum foſſilia & mollia, & exhalationi ex qua coeunt propinquiora, aquiſque accuratiſſime permiſta, facilius etiam minimos humani corporis poros pervadunt, neque quicquam tam occluſum reperiunt quo ſe non penetrent: cum alia medicamenta longiori die duritiem magnam nacta, nec aquis ita permiſceri, nec tam jucunde à nobis ſumi poſſint.

Cap. IX.

Quibus affectibus debellandis utibilis ſit aqua Spadana.

SEneca tertio Nat. Cap. 1. *De aquis,* inquit, *differemus, quas inſignes, aut ſapor, aut aliqua reddit utilitas, quædam enim oculos, quædam nervos juvant, quædam inveterata & deſperata à Medicis vitia percurant, quædam medentur ulceribus, quædam interiora fovent potu, & pulmonis, ac viſcerum querelas levant, quædam ſupprimunt ſanguinem, tam varius ſingulis uſus, quam guſtus eſt.* Hæc ille. Certe Spadanæ aquæ calidorum, frigidorumque mineralium facultatibus dotatæ, non poſſunt non calidos, frigidoſque affectus, in eodem diverſiſque corporibus percurare: & cum caloris opus ſit rarefacere, incidere, attenuare: frigoris condenſare, aſtringere, incraſſare, non mirum eſt his aquis contrarios edi effectus, nimirum menſes moveri, & rurſus nimium eorum fluxum ſiſti. Verum enim vero, cum non empiricam, ſed rationalem medicinam, & faciam & profitear, libet quantum libelli brevitas permittit, explicare, qua ratione unum idemqne remedium, &

multis

multis iiſque contrariis morbis mederi poſſit, & à ſanis neutriuſque conſtitutionis hominibus, non tantum tuto ſumi, ſed & illos à prædictis morbis præſervare, immuneſque reddere. Ea quæ fieri in dies videmus, vel cum Pyrrhoniis omnino negare, vel cum idiotis in dubium vocare, ut non ſatis ſani hominis, ita rationem qua quæ vulgo impoſſibilia videntur, eveniunt, ſcrutari: Medicophiloſophi opus eſt, clare autem eadem interpretari, etiam arguti, fæliciſque ingenii. Age, quando hic Rhodus eſt, ſaltemus, nullique quod ſciam priorum tentatam quæſtionem, enucleemus. Jam ante capite proximo dixi multum veritatis in Democritæo puteo latere, multa nos ignorantiæ circumfuſos nebula, nec tamen ideo ſenſibus fidem negare, omnemque ſcientiam mundo eliminare debemus. Nam quod hic in aquis acidis, etiam emunctæ naris homines capere ſe negant, paucis me perſuaſurum confido. Corporibus noſtris tam ſanis quam ægris quædam communia ſunt, parique conatu conſervanda, vires nimirum quæ fovendæ, roborandæ, augendæque dum licet, ut & malis quæ nec ſentientibus obrepunt, obſiſtant, & naturæ debitas a-

ctiones

ctiones exerceant, & morbos propulſent, ad has vires ita collineant docti Medici, ut earum vel ſolam, vel præcipuam rationem habeant. Quantitatem, vel medicamentorum alviducorum, vel vrinas, ſudoreſque cientium, pro virium conſtantia diſpenſant. Si quando ſanguis mittendus eſt, vires in conſilium ante omnia adhibentur; ita ut vel in ipſa pleuritide ſanguinea, cui ſane ſectione venæ maxime opus, ſi Medicus judicet anacatharſi, aut exſpuitioni non ſuffectura latera, venam vel non tundet, vel parciſſima manu tantillum ſanguinis educet. Harum virium ratione etiam in febribus, aliiſque morbis, abſtinentia curabilioribus, cibum, potumque admittimus, magiſque ad vires quam ad morbum collineamus. Virium cauſa condimenta omnia inventa ſunt, ut ventriculus ad ſolita nauſeans, ſeſamo, pipere, aceto, aliiſque excitatus, facilioribus concoctu, gulæque gratioribus, attrahendis, detinendis, digerendis ſufficiat. Quo fit, ut ſanis juxta ægriſque, roborantia conveniant, naturaleſque actiones commode promoventia: hoc unum intereſt quod diverſa quantitate his, illiſque opus ſit: nam pauca in ſanis naturam vel pigram, vel

offici

officii ſui immemorem excitant, quæ in ægris prorſus ſopitam vel ablatam, non niſi majori mole reponunt. Ita parum apii, ſerpilli, roriſmarini, macis, ſanorum ovinæ elixandæ, aliiſque cibis ſat eſt, ut lentorem, craſſitiemque chyli, & quæ inde ſequitur obſtructionem impediant, ſerumque ſanguinis ſuperfluum ad urinarios meatus, vel ſudoriferos poros deducant: at in ægris ad totos herbarum, florumque manipulos, ad radicum, ſeminumque uncias, ad alia pertinacem obſtructionem debellatura, veniendum. Liene ſuccum melancholicum per vas breve ad ventriculum non tranſmittente, ſaniorum ventriculum ignavius appetentem, parum aceti, vel omphacii corrugat, excitatque. In ægris, & magna medicamentorum mole, & longa die ſæpius repetita opus eſt: ſic aquæ acidæ minoribus obductę vitris, ſanis, ſanitatem conſervant. Majoribus vero, avidius, & longiori tempore epotæ, ægrorum morbos debellant, naturalemque temperiem revocant. Itaque fontes quos ſacros merito vocavit vetuſtas, qua debemus admiratione proſequamur, iis valere juſſis qui quæcunque exiguo ſuo cerebello non capiunt, aut inficiantur,

aut

aut calumniantur. Sed à capite ordiamur: Primum catarrhos omnium morborum originem abſumunt, cerebri humori ſupervacuo ablato, eoque mala hinc nata, ut, paralyſin, artuum tremorem, & cætera his affinia curant. Narrat Ryetius ſuo conſilio uſum Dominum Arnoldum Brugel, Eccleſiæ Collegiatæ in Oirſchot Canonicum, integra crurum reſolutione, etiam brachiis ex parte affectis, laborantem, has aquas bibiſſe, urinam, ſudores, alvina excrementa ſimul copioſe dejeciſſe, nec multo poſt commode per cubiculum ambulaſſe, cæterum recidivam paſſum, obortis continuo pluviis ad ſuos rediiſſe. Ante plures annos Illuſtris Domina Lumley, Angla, vtens quotidiano conſilio Domini Gifort, Medici Londinenſis, à tremore capitis, quo ultra octennium laboravit, multum levabatur; cæterum eandem paſſa imbrium moleſtiam, ad ſuos rediit, priuſquam, tam iniquo cælo percurari poſſet. Scribit etiam Ryetius ſe vidiſſe Dominum Sanſeux, nobilem Gallum, convulſione colli pertinaciſſima, & omnia remedia ludente correptum, unicum Spadanæ aquæ quod ſupererat tentaſſe remedium, reque ut videbatur infecta, in

Franciam occiduam rediiſſe, cæterum domum regreſſo remiſſum malum, triennio continuo Spadam reverſum, quarta demum æſtate inſignis ſuæ patientiæ præmium tuliſſe ſanitatem perfectam. Cephalalgiæ, Hemicraniæ, Vertigini obnoxios, quamquam tardius, multum ſolatur. Oculorum rubores, pota & admota tollit, ut etiam maculas faciei rubras, & eryſipelata, puſtulas denique à bile, aut ſalſo flegmate in facie ortas delet, ructuſque continuos, & vomitus, ſingultuſque compeſcit, quod ſane cum aliis annis, tum hoc ipſo in virgine quadam obſervavi, quæ cum ſemper ſingultiret, tum hujus aquæ, tum opiatæ quam infra ſcribam uſu, omnino convaluit, eique interim decima jam Luna menſes ſtantes fluxere. Non alibi manifeſtius vires ſuas exerit, quam in hepatis, lieniſque obſtructionibus, atque inde natis malis perſanandis. Icterici ſanantur multi, multi alterutrius, vel utriuſque viſceris ſcyrrho non confirmato laborantes. Melancholia flatulenta, ſeu hypochondriaca curatos vidi complures. Hydropici adjuti multi. Ante annos 20. venit in Spa, exeunte Auguſto uxor Domini Berthelemy,

Domi-

Domini de Buſſy, Conſiliarii in Curia Pariſienſi, Hydrope leucophlegmatica quantum unquam vidi laborans, cui cum conſilium, modumque aquas bibendi dediſſem, ſanior ad ſuos rediit, eademque anno ſequenti potis iterum toto fere bimeſtri aquis, ſaniſſima Lutetiam conceſſit. Ante annos octodecim frater Gabriel Capucinus, poſt longam quartanam, vomitumque, & ſeceſſum multarum ſanguinis librarum (me enim præſente ſimul ultra octo libras emiſit) in hydropem aſcitem, & ab aliis Medicis, & à me omnino incurabilem judicatum, prolapſus; cum in Spa omnium judicio ibi ſepeliendus veniſſet; atque in cubiculo, (nec enim pedibus conſiſtere, nedum ambulare ob immanem pedum, crurumque, & abdominis tumorem poterat) aliquot dies ſtrenue Pouhontium potaſſet, mox & Savenirium & Geronſter tota hora à Pago diſſitum pedes adiit, ſaniſſimuſque, & me, ut jocans inſultabat, abdomine pingui tardo velocior, greſſuque & curſu longe ſuperans, ad ſuos rediit. Verum biennio poſt recidivam paſſus, ne quid diſſimulem: tandem exeunte Decembri, aſciticus obiit, viginti octo menſes quos Spadanis debebat aquis,

omnium opinione tardius. Ut jam affirmare auſim, qui toto bimeſtri hydrope laborarunt, hoc eſt, quibus hepar vitiatum eſt, numquam perfecte ſanari, viſcere corrupto morboſum germen in horas regenerante. Calorem renum temperat, eorum arenulis detergendis & expellendis, omnium aliorum medicamentorum vim excedit, tum quia valde diureticum, quia ſimplex, quia naturale, quia artis omnis expers, quia gratiſſimum pleriſque ad omnia alia nauſeantibus remedium. Ut arenarum concretioni obſtat, ita & calculi generationi renititur, ut fuſe potes legere in meo Deplemento Supplementi Helmontiani ante novem annos editi. Veſicæ calculum curare poſſe negat Pigræus, cæterum viſitator Carthuſianorum Ludovicus Hagerus, vir omni fide digniſſimus, mihi non ſemel narravit ſe maximo laborantem calculo, ſuperiori anno Spadam veniſſe, priuſquam eo iret, & domeſticis Herbipolenſibus, & Leodienſibus lithotomis ſentiendum calculum dediſſe; hauſtis magna copia aquis, ad ſuos rediiſſe, multo eos minorem calculum reperiſſe, qui cum hoc anno Spadam rediiſſet, meque & multis admirantibus ultra & decem hebdoma-

domadas, quotidie trecentas quinquaginta uncias bibiſſet, multum adhuc diminuto lapide receſſiſſe, idem Lithotomus, & qui Lithotomo adſtitit Dominus Michaël Ogerus, Medicus excellens adfirmavit. Et ſane etiamſi veſicæ calculum non frangeret, multum tamen prodeſſet his aquis ante ſectionem uti, quia veſicam eluunt, calculum viſcida pituita & mucore quo obſidetur, mundant; faciliorem que extractioni reddunt. Accedit quod ſæpe pituita nondum in calculum coalita, patientibus calculi ideam, ſymptomataque omnia exhibeat. Quod Gratiano ſæculi noſtri Lithotomo famoſiſſimo accidit, qui cum calculo ſe premi ratus, ſocio Lithotomo veſicam ſecandam præbuiſſet in urbe Namurci; nihil præter tenacem pituitam, quæ huic aquæ facile ceſſiſſet, eduxit: inſuper Horatius Augenius. Pareus, Hollerius, Marcellus Donatus, ſcribunt multos calculo laborare, cutaneo ſeu mucoſo involucro latente, ita ut catheteris omnis ſenſum eludant. Hi ſane ab his aquis multum juvarentur; cum enim exemplo ſupradicti Carthuſiani friabilem attriviſſe lapidem conſtet, multo facilius obvolventem hanc cutem diſſolverent.

Ante ſexennium Italus Rhynbercæ ſtipendia merens, ſedecim ſe in penis cole calculos geſtare dicebat; piſis recentibus majores. Juſſi hominem mingere, cum viderem ipſum mictionem tardius, & cum difficultate, pubiſque; compreſſione cœptam; ſicut alios facile continuare, proculque urinam jaculari; rogavi num cerebro conſtaret, me enim non capere quomodo tot calculi, tantæ molis, in ipſo urinario meatu poſiti, tantam urinæ libertatem permitterent. Ille ſubito manu mea peni ſuo admota numerare me calculos jubet, numero ſedecim, & quidem tam facile, quam vel globulos precario fune irretitos, vel nodos thoracem vincientes. Teſtor fidem me quarta poſt ſeptimana tantum ſex inveniſſe, decem emictos ſancte affirmabat, eoſque in pyxide oſtentabat. De aliis, (diu enim poſt me in Spa hæſit) quid factum ſit, neſcio. Sed miraculo propius eſt quod ſubnectam. Religioſus quidam, jam tres & quod excurrit annos, hyeme juxta, ac æſtate, Spadanum fontem magnis potat poculis. Oſtendit ille non tantum plures calculis duriſſimis plenas capſulas: ſed & quod qui non viderunt vix credent, (viderunt autem hoc trien-

nio

nio ex tota Europa innumeri) duas veſicas ſex latos digitos longas minimo ſuo digito craſſiores, arenis undique conſertiſſimas, ſimul cum inſano, & non tantum internecino dolore emiſtas, videndas præbet. Qui micturienti, vel potius tam portentoſum parturienti fœtum adſtabant ruſtici, inteſtina ipſum minxiſſe clamabant, eaque media hyeme pro miriſſimo miraculo, ad me deferebant. Aliud hic notatu digniſſimum occurrit, unde Spadanæ aquæ præſtantiam agnoſcas, cum primo biennio multos eoſque duriſſimos, & ætatem laturos lapides mingeret, quos à ſedecim præter propter ſecrevit menſibus tam molles ſunt, ut aliquamdiu aëri expoſiti, & frientur, & modo pituitæ male concretæ, diffluant. Eadem renum ulceribus, & carnis in urinario meatu incremento, ſeu carnoſitati utiliſſima eſt; tollit enim humorem qui illum generat, ipſum deſiccando; & ſi aquæ Spadanæ in meatum urinarium injectio fiat, ulcus cicatrizat, ſuaque roborante vi carunculæ regenerationem, ac recidivam impedit. Prioris exemplum vidi in ſene quodam Antwerpiano, qui cum continuo triennio quotannis ſex integros menſes

hanc aquam plenis obduxiſſet faucibus, renum ulcere inveterato levatus eſt: Poſterioris fidem mihi fecit vir quidam Religioſus, qui meo uſus conſilio, à carnoſitate moleſta liberatus fuit. Gonorrhoeæ Venereæ, quicquid alii dubitent, certo auxiliatur; quod & ego cum alias, tum hoc anno in duobus Pariſienſibus, & alii obſervarunt: Paraſtatarum dyſcraſiæ hinc natæ etiam utiliſſima eſt. Tuto itaque, qui morbo vel gallico, vel ſuo verius laborant, utantur: Si enim metalla, fatentibus omnibus vim ſpecificam ad hunc morbum debellandum habent; hujus autem aquæ facultas tota ex metallis eſt, cui dubium, quin Adonidis nepotuli, propitiis his aquis uſuri ſint? Sane hoc ipſo anno quidam aphthis ſeu ulceribus gallicis, unguis latitudinem æquantibus, os, linguamque obſitam habens, ejus uſu convaluit, quod juratus confirmare poſſum. Senſit idem Solenander conſ. 37. ſect. 3. ita ſcribens: *Et Gonorrhais, & caruncule in virga utibiles ha aqua, meatu virga unguento camphorato libero reddito, potus acidula ipſum eluet, refrigerabit, ſiccabitque ulcus quod in eo remanſit, quod deinde eo modo roboratum, facilius obducetur cicatrice.*

trice. Non poſſum quin hic hiſtoriam inſeram à Remberto Dodonæo cap. 41. obſervat. medicinal. deſcriptam, ubi poſt multa ait: Generoſus Vir, ex Familia Franciſci, & Henrici Franciæ Regum cum 10. & 8. annis venereo profluvio laboraſſet, increſcente in dies malo atque una ſymptomatum ſævitia, nec ullum medicamentorum præſcriptorum uſufructum conſequeretur, ad fontem proficiſcitur, haud procul à Leodio, qui creditur eſſe quem Plinius lib. 31. cap. 11. in Tungris eſſe ſcribit. Hoc ubi aliquot dies uſus eſſet, dolores valde remiſſi ſunt, ita ut ſuavius illic, quam alibi multis annis vixerit. Fontis ſiquidem hujus ea propria, ac ſingularis eſt facultas, ut veſicæ, renumque dolores ſopiat, ac leniat: morbos tamen harum partium raro perſanet: ventriculum debilem idem roborat: ciborum languentem appetentiam excitat; hydropicis præſertim leucophlegmaticis, ſubinde ſanitatem revocat. Poſſemus nonnullos referre graviſſimis ex renum ac veſicæ doloribus miſere afflictos, qui interea dum hunc biberent, à doloribus liberi viſi fuerint, non tamen idcirco ſanitati reſtituti. Prætermiſſà ſiquidem hujus potione,

D 5 etiam

petiam acerbius quandoque doloribus pejus habuerunt. Veluti huic generoſo contigit Viro, qui interea dum aquam fontis biberet, melius habere videbatur : Sed illinc reverſus, mox omnino pejus, ubi ingraveſcentibus omnibus doloribus, vitam cum morte commutavit. Diſſecto ac aperto hujus corpore, repertus eſt ren uterque major, quam ſecundum naturam, durus, concreti, ac indurati puris colorem, ac ſimilitudinem referens : ureteræ ambæ interius exulceratæ : veſica plane rigida, nec extendi, nec contrahi potuit. Hujus una membrana ab altera divulſa, copioſo intermedio pure. In exteriore tubercula quædam livida apparebant : interior multis foraminibus pertuſa. Hæc ad verbum celebris ille Cæſareus Medicus. In hac Hiſtoria velim Lectorem meum obiter notare, moram in Spa eſſe neceſſariam, & quod ſæpe multis dixi, toto ibi anno vivendum iis qui à diuturnis, & pertinacibus malis liberari cupiunt : at nunc qui trigeſimo, vel quadrageſimo die non perſanantur, aquarum impotentiam arguentes, ſæpeque de Medicis multa immerito queſti, ad ſuos irrito eventu redeunt. Revera enim aliquot, qui totos tres, quatuorve,

ve, annos aſſidui in Spa manſerunt, ab ulceribus iſtis, calculoque, & hydrope perſanatos vidi, qui etiamnum vivunt; votivamque ſanitatis tabulam Spadanis appendunt fontibus. Leproſis etiam, ſive Elephanticis, morbo venereo multum affini laborantibus, inſigniter opitulantur. Nam jecoris ardorem, ſanguinem aſſantem, temperant. Dixi ſupra mucum, aut humorem in veſica lentum his aquis elui, addo ſcabiem in ejus corpore & collo, aut ulcus in ſphinctere ab iis abſtergi, mundarique, & ſæpe ad cicatricem perduci. Si cui male curato in perinæo abceſſu fiſtula ſuperfuerit, ab his aquis præſens remedium inveniet. Uterum muliebrem, albo fluore, mucoque obſitum, & pota, & per metrenchytam injecta, valde curat. Virginibus etiam ſolo fotu ad menſes albos profuiſſe ſcio. Cancro item, uterique ſcyrrho, ſi commode injiciatur, unice prodeſt, cum omnia phagædenica, & dyſepulotica ulcera manifeſto juvet. · Inter cætera menſibus movendis in primis idonea, quod millies experientia comprobavit. Et tamen nimium eorum fluxum quovis alio medicamento fœlicius ſiſtit. Quod ante octennium in Antvverpienſi quadam

Domicella, hoc vero anno in nobili Virgine obſervavi, quarum utraque cadaveroſa facie, viribuſque valde afflictis, cum in Spa veniſſent, ſaniores ad ſuos redierunt. Solenander conſ. 5. ſect. 4. *his fluxibus*, inquit, *ſiſtendis*, & *cauſſis eorum auferendis*, *omnibuſque membris ſine incommodo confirmandis*, *maxime utiles aquæ Spadanæ*, & *multæ earum in Eifflia æmulæ*. Idem in alvino fluxu, ipſaque dyſenteria aliquoties vidi: Inter alios M. Petrus vander Schroet Canonicus Sylvæducis, poſt dyſenteriam, etiam Lientericus, totum jam triennium his aquis ſuperiori anno me ſuadente potis, ſanus ad ſuos rediit, liber à febri, qua fere maraſmode jam detinebatur. Idem eaſdem hoc anno utiliſſime bibit. Purgant enim hi fontes, atque inteſtina roborant. Tandem cauſa mali excluſa alvinos fluxus ſiſtunt; quod jam antea à Myrobalanis etiam & Rhabarbaro fieri multi adnotarunt Medici, ac in primis Ludovicus Mercatus Operum ſuorum tom. 3. cap. de dyſenteria. Sed inter cætera, inquit, præſidia à doctiſſimis etiam viris, ratione & diutino ac firmiſſimo experimento firmatum proclamatur, frequens aquarum thermalium, quæ potentiam habent

bent refrigerandi, uſus, ita ut in potu & clyſteribus mirum in modum prodeſſe ferant. Vermes omnis generis egregie deturbant, quod luculenta narratione Gheringus confirmat. Res, inquit, dictu mira. Mulier annorum quadraginta ſex, quæ ob diuturnam menſium ſuppreſſionem in aſcitem inciderat, à quo ut liberaretur octo jam annis peritiſſimorum Medicorum diligenti cura fruſtra uſa fuerat, tandem potu aquarum Spadanarum per aliquot ſeptimanas continuato, cœperunt fluere menſes, ac tandem aqua ſatis copioſe, ac tertio vermis quidam ſemicubiti longitudine, quadrupes, cauda oblonga, figura fere lacertæ, cineritii ferme coloris extra aquam, in aquam vero projectus, colorem exhibebat rubrum; poſtremo octo, aut novem ſimilis figuræ & coloris, ſed vermiculi prodierunt. In ſumma, tantam illa ſaburræ ſeroſorum excrementorum ex diuturna illa menſium ſuppreſſione natorum, copiam excrevit, ut illico venter, qui ante in maximam ſublatus fuerat molem detumeſceret, ægraque ſtatim melius habere cœpit, & in præſentia ſatis commode habet. Hoc ſane adſeverare audeo, me adoleſcentem Ægidium d'Ouffet,

ſet, tunc Bartholomæi Wolters Sartoris famulum, undique vermes egerentem, (nam infinitos vomebat; per anum reddebat, imo lectu, vel viſu rariſſimum, mingebat) his aquis percuraſſe. Ita me bene amet Deus; uti ſemel in matulam vitream, una mictione ſedecim vivos vermes reddidit, me præſente, & quæ mea eſt curioſitas, quia ſucum timebam, matulam tenente, qui à me in domum Bavaricam (Xenodochium eſt à Principe noſtro Sereniſſim oinſtitutum, cui tum ſextum annum præeram) miſſus; harum aquarum uſu, medicamentiſque ei rei dicatis, ſanitatem qua nunc pollet optima, paucis diebus conſequutus eſt. Et hoc mirum, quod ex Nobilium fide dignorum qui oculati adſtitere teſtes, relatu habeo: ruſticum cui dormienti in aurem inſectum penetrarat, cum dolore tantum non furiante, acidi fontis aquam auri immiſiſſe, mox vermem à roſione & puncturis abſtinuiſſe, nec multo poſt fruſtatim eductum eſſe. Uteros etiam tumentes juſtoque humidiores deſiccat: quo fit ut multæ quæ æterna ſterilitate poſt duodecim, vel, ut vidi, quatuordecim annorum matrimonium infrugiferum damnatas ſe putabant, harum aquarum

uſu

uſu matres factæ ſint. Cæterum hoc potius præſtant in uterum per catheterem immiſſæ, vel per inſeſſionem, aut vaporarium applicitæ: quanquam & potæ aliquid proſint, purgando venas, roborando viſcera, calefaciendo partes utero vicinas: ut mirer ſcripſiſſe Senecam, reddi cauſam non poſſe, cur aqua Nilotica, fæcundiores faciat fœminas, ut quarundam viſcera longa ſterilitate præcluſa, ad conceptum relaxaverint: quare in Lycia aquæ quædam conceptum fœminarum cuſtodiant, quas ſolent petere quibus parum tenax eſt vulva: hujus enim rei cauſas obiter adduxi. Artheticis prodeſſe ſcribit Pigræus, eo quod ſerum expurgant, quod in articulos lapſum, membranas tentando, diritatem illam dolorum, carnificinamque excitat: Cæterum niſi purgatiſſima corpora ſint, fluxus ciendo, tum hoc anno, tum ſuperioribus nocuiſſe, arthritimque alieno tempore accerſiſſe vidi: cui rei teſtem laudare poſſum Dominum Laurentium Petri Iureperitum, tunc Canonicum Namurcenſem, cui ante ſeptemdecim annos aquas bibenti, tertio die, podagra primum: dein chiragra, qua ad eum diem non laboraverat, quia, ut ipſe fatetur, purgationem

nem neglexerat, ſupervenit: & ratio cur podagricos non prompte juvet eſt, quia nervos & articulos non tangit, nec eo, ut ad cerebrum, prompte vapores tranſmittit. Per accidens tamen prodeſſe hæc aqua poteſt, roborando nimirum viſcera, & impediendo generationem phlegmatis, & ſeri, quod in articulos decumbendo, podagram excitat. Ut rem totam quaſi ſyllabo comprehendam, Aquæ Spadanæ, ventriculi concoctionem juvant, orexin faciunt tantam, ut quidam à fame canina ſuperventura ſibi timeant, ſitim domant. Colicoſis, Iliaciſque torminum dolores ſedant: arenas minutoſque calculos ex renibus & veſica expellunt; obſtructiones viſcerum hepatis maxime & lienis, venarumque meſeraicarum de obſtruunt: crapula heſternoque mero nauſeantes, mirifice recreant: ſanguinem depurant, lumbricorum genus omne necant, menſes ſi ſtant movent; ſi nimium fluunt, ſiſtunt: Febres pellunt: oculorum fluxus illitæ ſiſtunt: cutis infectiones, puſtulaſque & ſcabiem lotione, & magis balneo auferunt: morphæam, lepramque recentem tollunt, conceptum juvant: catarrhos & quæ illos ſequuntur, paralyſin, apo-

apoplexiam, epilepſiam impediunt. Ozænis narium: dentium vacillationi opitulantur. Pendulas mammas coërcent: affectus tonſillarum gargariſatu tollunt. Hydropem, leucophlegmaticam maxime, & Aſcitem incipientem exhauriunt; penis exulcerationem ſanant. Ceterum ne longior narratio moleſta ſit, cum Gheringo harum hiſtoriarum cupidos in Spa remitto, ubi quotannua exempla, etiam curioſiſſimorum animos explebunt.

Cap. X.

Modus prædictos affectus debellandi.

VEtus Hippocratis ſcitum eſt, Medicos ineunte morbo, multa utentes Epangelia, ſæpe egere, eodem exeunte, plurima Apologia. Quod Medicorum eſt Medicos promittere, Horatius olim, ſerione an joco, cecinit. Sane videmus in horas vel ægrorum, vel adſtantium, vel externarum rerum culpa, medentium ſpem eludi, mortemque inexpectatiſſima via obrepere: Hoc utinam Medicomaſtyges ſerio cogitarent, parciuſq; nobis inſultarent, nec à nobis, quod in manu noſtra non eſt, exigerent. Memini me in Spa adſidere

iis,

iis, qui præcedens cum legiſſent Caput, Aretalogi, vel Ceretani orationem, ad omnes morbos remedia profitentis, audiſſe viſi ſunt, itaque res habet, ut omnes qui harum aquarum vires deſcribendas ſumpſerunt, cum eas in pleroſque humani corporis affectus valere dicunt, fiduciam apud paucos, fidem apud neminem prope inveniant. Cæterum ſi in Spa mature, & conſtantibus naturalibus, vitalibuſque venerint viribus: nam quoſdam, & inter alios nobilem quendam Moreſini Venetum: Piccenini teſtudinis pulſandæ peritiſſimum Romanum, tertio priuſquam morerentur die, ut alios taceam, Spadam ab ijs quos primis hujus libri notavi lineis, miſſos vidi) aquaſque quo dicemus modo biberint, indubie quæ dixi vera eſſe fatebuntur. Pauciſſimos enim vel nullos Spadæ incolas, capitis doloribus, cardialgia, calculo, obſtructionibus renum, hepatis, lienis, meſeraicarum laborantes, invenies. Ictericos, hydropicos, podagricos, ſcabioſos, epilepticos, quod ſciam nullos. Sed cum modo bibendæ aquæ: Ut enim non medicamenta modo, quæ & nihil, & manum eſſe Dei dicebat Herophilus, ſed & alimenta nullo ordine modo-

modoque, & alieno tempore ingeſta, damni multum, commodi nihil adferre ſolent; ita & aquæ Spadanæ, niſi certo anni tempore, certaque diei hora, modo & quantitate convenienti, corpore bene ex conſilio periti Medici præparato bibantur, morbos augere potius, quam auferre amant. Nimium mel, fit fel, nec quicquam tam bonum habet ſublunaris mundus, quod non malæ fæcis aliquid ſecum trahat. Ne igitur aquæ, quibus multi pro multorum Averrunco morborum fæliciter uſi ſunt, ſequiori uſu infamentur ab iis, qui ex pravo earum potu, morbis non tantum non ſunt levati; ſed & cum valerent optime, voluptatiſque cauſa eas biberent, febres, aliaque damna contraxerunt; ut ante annos aliquot Genuenſi cuidam nobili accidit, & aliquot Belgis: aliis ventres intumuere ut hydropici viderentur; modum eas commode bibendi docebo, ſi prius cauſas cur ſupradicti in hos caſus inciderint, aperuero quam breviſſime, ut alii horum exemplo docti, has ſyrtes vitent. Conſtat febres naſci ex rebus præter naturam calorem noſtrum naturalem accendentibus; Cæterum etſi ſanguis ſolo calore aucto febrem excitet, alii tamen

men humores, ut docet Gal. Sec. de diff. febrium, quatuor primis capitibus, niſi putreſcant,febrem accendere non poſſunt; non putreſcent autem in corpore perſpirabili & libero, obſtruatur ergo febri tentandum corpus neceſſe eſt: Hæ itaque aquæ cum valde diureticæ ſint, humores facile & confeſtim ſecum ad venas rapiunt, quæ cum tam multæ materiæ tranſitum præbere non poſſint, obſtruuntur; obſtructis venis, humores iis contenti, accedente calore alieno, & vitiante vel educente calorem genuinum,ſeu nativum, putiſcunt, unde homines febriunt. Cæteroqui certiſſimum eſt, purgato bene corpore, has aquas, plus momenti ad debellanda omnium febrium genera maxime intermittentium, quam ulla alia pharmaca obtinere. Eadem ratio eſt ſubitæ hydropis, vel potius tumoris hydropem mentientis. Calefit aqua Spadana in ventriculo, pulſoque actuali ſuo frigore, potentialem ſuum calorem in actum reducit; & ſic pituita, quæ plurima in corporibus mollibus maxime fœmineis & cachecticis ſtagnabat, attenuatur primum, dein in aquam ſolvitur, quæ ſuo pondere imam ventris impletura capacitatem deſcendit;

dit; nec hoc mirum, cum in dies catharticis medicamentis incaute adhibitis, idem fieri videamus: quæ cum magna copia in abdominis cavitatem decumbunt, in eam molem ventrem attollunt, ut hydropem præſentem omnes judicent. Quæ cauſa eſt cur in longo apozematum pituitam ſolventium uſu, ne ægri pituita craſſiori pleni, hoc periculum adeant, periti Medici quotidie apozematum ſumptioni, aliquid trochiſcorum de abſynthio, de capparibus, de eupatorio, de ſpodio, de carabe, &c. præmittant. Alioqui vel ſolis ſyrupis nimis incidentibus, hydropem quoſdam incurriſſe, notat Averrhoes. 7. colliget, dicens etiam ſyrupi acetoſi ſimplicis immodico uſu hoc accidiſſe: qui horum trochiſcorum uſu, malum hoc prævertere poterant. Verum uni aut alteri medicamento ſi recens ſit hoc malum, cedit, uti plures teſtari poterunt, qui hoc & ſuperioribus annis, his incommodis à me levati ſunt. His affectibus obiter elucidatis, rei me accingo. Qui aquas bibituri ſunt, vel ſani voluptatis ergo, ut ſolent recens nuptæ cum maritis, vel proci cum amaſiis: aut ægri neceſſitate adducti illas adeunt. Illis leve eccoproticum ſive

elect.

elect. lenitivum, ſeu benedicta laxativa, ad dragmas 9. vel 10. ſeu caſſiæ uncia una cum ſcrupulis duobus rhabarbari vel mecoacæ: vel ſyrupi roſati ſolut. unciæ tres plus minus ſuffecerint. Imo qui corpore ſat laxo fuerint, ut ſunt qui bis, ter, in dies ſecedunt, nullo medicamento prævio, Pouhontii vel Geronſterii aquis per ſe ſatis alvum jam incitatam promoturis, uti poſſunt: Nam & Galenus libro de ſanit. tuenda, conſueviſſe ait multos, vere vel autumno ad excrementa vacuanda, vel dejectoriis medicamentis uti vel ſponte manantibus aquis, quibus utique aut ſulfuris aut bituminis, aut nitri vis ineſt. Ægros convenienti & affectui proprio medicamento purgare convenit, & quoniam plerique vel pituitæ, vel bili flavæ, vel atræ ſeu melancholiæ medicinam petunt, idque ut affectibus ſuperiori capite recenſitis occurrant, obiter formulas præſcribam, ut qui in Spa vel medicum non invenerit, quod raro accidit, (hoc enim anno quo ſcribo, præter me quatuordecim ibi viſi Medici,) vel qui ſumptui parcere volet, quod multi faciunt, hinc ſibi medicamentum non nociturum petere poſſit. Cæterum hoc moneo, me præ-

ſcribere

ſcribere formulas quæ noſtratibus Pharmacopoliis conveniunt. Cum enim Galli, Hiſpani, Angli qui recentiori quam nos rhabarbaro, manna, agarico utuntur, ſex dragmis, (vel octo electuarii alicujus purgantis, in decocto cordiali, vel aqua aliqua ſtillatitia ſoluti, contenti ſint, ſcammonioque, diacrydio & defæcatiori forte, quod tamen ſolum omnia purgantia pharmaca ſtimulat; quia trochiſcorum Alhandel uſus rarior, quam noſtrates utantur, nos totis decem dragmis, vix tantundem proficimus. Imo cum Chymicis eorum medicamentis utimur, niſi doſi pluſquam dupla utamur, & operam, & tempus, & nummos perdimus. Qui ſua in patria, quod ſuadeo, medicamentum præſumpſerit, leni pharmaco eluviem in itinere contractam, cum Spadam venerit, eluere poterit. Cæteri hæc aut ſimilia, vel in Spa, vel Leodii ſumant. Qui *pituitoſo affectu* laborant, capiant fol. ſalviæ, bethonicæ, verbenæ, majoranæ ana manipulum: florum cyperi, anthos, primulæ veris, pæoniæ, ocymi, caryophyllati, centaurei minoris ana pug. I. radicis galangæ, ænulæ campanæ dragmas tres, pyrethri dragmam; fol. ſenæ Or. uncias duas, agarici,

agarici, mecoacæ ana dragmam, bulliant in aquæ ſ. q. ad uncias novem, in colatura ſolve electuarii de dactylis, de ſebeſten ana dragmas ſex, ſyr. de ſtæchade, byzantini, Jujubini ana unciam, olei cinnamomi ſcrupulum, miſce pro tribus doſibus, vel continuatis, vel uno intermedio die ſumendis. Aut ſumat tabellas: Rec. ſpec. elect. Indi dragmam, cum ſaccaro aqua majoranæ & aniſi ſoluto, q. ſ. f. tabellæ; quæ olei cin. guttis aliquot irrorentur pluma, vel cum ſaccaro ſimplici, & ſyr. de ſtæchade fiant boli pro una doſi; & biduo ſequenti ſi videtur, repetant. ſi malit pilulas, accipiat pil. fœtidarum dragmam unam ſemis; cochiarum, ſine quibus ana ſcrupulos duos, trochiſ. alhandal ſcrupulum, cum aqua cin. f. pil. 21. ſumat in dies ſeptem, poſt primum ſomnum, & ſi poteſt, dormiat unam alteramve horam. Qui *bili* remedia volet, R. capill. veneris, cichorei acetoſæ, ſonchi, endiviæ, ana manip. flor. roſar. violar. nympheæ ana pug. rad. graminis aceto maceratarum, rad. aſparagi, quinquefolii ana unciam unam ſemis; tamarindorum, paſſularum jujubarum ana unciam, quatuor ſem. frig. major. ana. dragmas duas; bulliant

liant in ſ. q. ſeri lactis ad lib. 1. in colatura ſolve elect. de prunis ſolutivi, de turbith cum rhab. ana unciam, de ſebeſten unciam unam & ſemis, ſyr. oxyſaccharæ, limonum ana uncias duas, olei vitrioli minimum, ad aciditatem jucundam, miſce pro tribus doſibus. Si malit pil. capiat aggregativarum, Arabicarum, aurearum ana ſcrupulum, addat diacrydii grana quatuor cum aquæ roſar. f. pil. 7. repetat duobus aut tribus diebus: Aut ſumat pulpæ tamarindorum unciam ſemis, ſucci fumariæ denſati dragmas duas, caſſiæ unciam, diacrydii grana novem, f. bolus: Aut infundat dragmam unam & ſemis rhabarbari, ſpicæ ſcrupulum ſemis, in aquæ endiviæ & vini albi ana unciis duabus; mane ſolvat in colatura ſyr. roſ. ſolut. compoſ. uncias duas: repetant bis terve. *Melancholicis affectibus* laborantes hoc modo purgari poterunt; Rec. florum ſtæchadis, ſambuci, geniſtæ, epithymi, thymi, centaurii min. ana pugillum, herb. Mercurialis, fumariæ, pulegii, ſerpilli, corticis mediani ſambuci ana manipulum: radicum polypodii, ænulæ campanæ ana unciam ſemis, fol. ſenæ or. uncias duas, ſeminum citri, carthami, ana unciam ſemis, macis dragmam,

gmam, bulliant in ſeri lactis, vel jure caponis antiqui ſ. q. ad uncias novem: in colat. ſolve conf. Hamech, electuarii Indi ana unciam ſemis, elect. catholici dragmas ſex, ſyr. de epithymo, de fumaria, mellis mercuriolati ana unciam: ol. vitrioli q. ſ. ad aciditatem palato gratam; dividat in doſes duas. Pilularum in hoc affectu rarior uſus eſt, niſi ex capite laborent, tunc enim quia longiori à ſpatio evocandi humores, pilulæ aliis pharmacis præſtant. Sed ſtatim iis ſumptis juris aliquid, vel decocti ſorbendum. Siccus enim humor eſt ſqualiduſque, & natura cunctator, ideoque humidis liquidiſque remediis oppugnandus. Si quis tamen ad omnia alia nauſeans ſolis pilulis uti velit, capiat maſſæ pil. aſſajereth, Indarum, de lapide lazuli ana ſcrupulum, fætidarum ſcrupulum ſemis cum oleo aniſi q. ſ. f. pil. 7. Hieræ ruffi dragmæ 5. vel 6. (ſæpe dedi ad unciam & paulo amplius) cum ſaccaro vel ſyr. in bolum formatæ, valide conveniunt. Aut R. elect. catholici dragmas 5. confect. hamech dragmas 3. lapidis armenii preparati ſcrup. duos, cum ſaccaro fiant boli. Cæterum quia raro humores ſinceri, plerumque mixti peccant, ideo ple-

pleriſque hanc vel ſimilem potionem ſuadeo. R. Herb. rec. endiviæ, bethonicæ, lupulorum ana manipulum, florum hyperici, geniſtæ, Keiri, ſambuci, ana pug. 1. radicum acori dragmam unam ſemis; bulliant in ſ. q. aquæ ad unc. tres, in col. ſolve el. cathol. dragmas ſex, ſyr. oxyſaccaræ unciam unam, aquæ cin. dragmas 2. f. hauſtus. Aut ſi quis ſumptus vel non habet, vel metuit, petat à Pharmacopœo elect. cathol. (quod ſolum, ut & electuarium lenitivum, ingrati ſaporis expers eſt) dragmas decem, diſſolvat in juſculo aliquo, vel vino albo: hoc ter quater repetat prout opus fuerit, vel continuo, vel interpoſitis diebus. Cæterum contumacioribus malis præcedentia decocta magis conveniunt. Fortean mirabitur quis, quod triduanas omnibus, vel quatriduanas præſcribam purgationes, cum diaria hactenus plerique contenti fuerint. Dico tres vel quatuor leviores potiones, uni validæ præferendas: nam primo die primam purgabunt regionem, hoc eſt ventriculum & inteſtina: ſecundo hepar deplebunt, ipſiuſque obſtructionem & infarctum expedient: Tertio venas, quæ revera ſtabulum ſunt colluviei, morbos mor-

temque accerſentis, emundabunt; hæc medendi ratio, viribus illæſis, imo lenta depletione roboratis, inveterata & callum ducentia vitia ſenſim demolitur; quæ vehementiora pharmaca, ſumma vi, ſummaque perturbatione non excutiunt, & quæ antiqui ut immedicabilia reliquerunt. Principibus aliiſque magnatibus, cum fere familiarem ſecum trahant Medicum vel Leodio ſecum ducant, pharmaca non præſcripſi; extracta, eſſentiaſque pretioſas omiſi, quanquam & hæ illis qui pecunia affluunt, non incommode donentur. Aptari corpus aliquo horum medicamentorum neceſſarium eſt, ne forte aqua noxios humores incurrens, eos ſecum rapiat, inventamque obſtructionem augeat. Imo qui ſaluti ſuæ recte conſultum volet, octavo, decimo, vel duodecimo quoque die, medicamentum, ſed ſemel tantum reſumet, atque tunc aquæ hauſtum in diem proximum differat, ſic liberius permeabunt aquæ, totaque cloaca humorum elota, corpus ſaniſſimum relinquent: quod velim plerique Medici ægris ſuis imperent, memores etiam eos qui guaiacinæ vacant diætæ, ſi non octavo vel decimo repurgentur die, ac niſi alvus ſemel

quo-

quotidie reſpondeat, ſymptomata incurrere graviſſima.

Cap. XI.

Qua ratione Acidarum optatus uſus promoveri poſſit.

MUlti vel voto ſerius, vel numquam optato acidarum fruuntur fine, quia his aquis nec ea qua dicam quantitate, nec etiam iis quas præſcribam hebdomadibus, vel menſibus, volunt, aut bibere poſſunt: ideo remedia quædam addere viſum eſt ſelecta, maliſque in quæ has aquas valere dixi debellandis idonea, atque ut loquuntur Chymiſtæ, ſpecifica. Hæc remedia quacunque ratione, ſolida, liquida, conſiſtentia mediocri, coaluerint, tota hora, vel ejus dimidio, aut certe quadrante ante acidas ſumenda. Aut ſi quis nauſeam, aliudve incommodum inde timet; vel proxime eorum ſumptionem præmittat aquis, aut in primo earum, alterove vitro hauriat, ita diuretica vi aquæ Spadanæ adjuta, facilius corpus permeabunt, membrumque, cui deſtinantur, attingent. Veniamus ergo ad *cerebrum humidum*, ſeu *catarrhis* obno-

xium. Mirabitur quis me huic malo, multum aquæ præſcribere, cum jam toti Medicorum Scholæ, hoc verſu aures caleant:

Jejunes, vigiles, ſitias: ſic rheumata cures.

Credunt nimirum contraria contrariis curari, quare cum jejunium, & vigiliæ, & ſitis exſiccent, his cerebri humiditatem opportune oppugnare videntur. Jam ante dixi has aquas actu humidas, potentia potenter exſiccare, & calefacere, ſicque ventriculi, & cerebri vitia emendare. Catarrhoſi itaque iis uſuri, hujus ſyrupi præcipiant unum alterumque cochlear. R. Viſci quercini, radacis & ſeminis pæoniæ, ligni aloes, corticis ſaſſafras odori non carioſi, ſcobis eboris, ſcobis cornu cervi apto tempore, hoc eſt cum in furias ignemque ruunt, lecti quod fere fit à medio Auguſti, ad idus Septembres, ana unciam ſemis, corticis citri ſicci, corallorum præparatorum, piperis, acori veri, zedoariæ, galangæ, granorum juniperi ana dragmas 3. florum ſtœchadis, liliorum convallium, pœoniæ, bethonicæ, lavendulæ ana. pug. unum ſemis, bulliant omnia in ſ. q. aquæ ſtillatæ liliorum convallium, pœoniæ, flor. tiliæ ad libras duas, in colatura ſolve ſacca-

ri

ri roſati, vel borraginati q. ſ. coque ad conſiſtentiam ſyr. apprime cocti. Hoc etiam uti poterunt vertiginoſi, à paralyſi, & tremore ſibi metuentes. Pauperes capiant baccarum lauri, juniperi, rad. ariſtolochiæ rotundæ, pyrethri, gentianæ, zedoariæ, ana dragmas duas; excipiant omnia pauco melle anthoſato, aut ſimplici, & ducant in formam electuarii ſolidi: capiant ad magnitudinem fabæ vel amplius. Cæterum Leodienſes Pharmacopœi aquam habent catarrhalem à ſocero primum meo Thoma Ryetio ipſis communicatam, cui ſi addatur aliquid theriacæ antiquæ, vel mithridatii, optimum dictis malis fiet remedium. Ejus deſcriptionem quam Illuſtris & Generoſus Dominus Joannes Curtius, Dominus D'Oupey, &c. ab Alexandro Farneſio Parmenſium Principe, acceptam, ipſi pro arcano pluſquam Eleuſinio communicavit, libens hic evulgabo, quando certiſſima fide aſſeverare poſſum, fidum & tutum his affectibus eſſe remedium, ſi ejus cochlear unum alterumque hic mane, domi ſuæ, lectum ingreſſuri ſumant, atque temporibus interdiu ſæpe oblinant. Deſcriptio hæc eſt: ℞. Florum ſalviæ, roriſmari-

ni, lavendulæ, caryophyllorum, nucis moſcatæ, cin. ſac. ana uncias duas, granorum paradiſi, macis, zedoariæ, ſem. coriandrorum, piperis longi, & nigri, ana unc. fol. rutæ, abſynthii ana dragmas duas, pomum aurantium inciſum unum, omnia groſſo modo tuſa macerentur plures dies in vini Cretici libris quatuor, vini albi optimi libris ſex, deinde diſtillentur per arenam. *Oculorum rubori* nihil melius quam ſi Spadanis aquis præmittant hauſtum aquæ ſtillatitiæ ex foliis hederæ terreſtris, qua etiam oculos, faciemque abluent. *Singultuoſis* poſt ventriculum ex hieræ uſu perpurgatum, tam à calida, quam à frigida ortum habente, utiliſſimæ hæ aquæ: ſi modo in ſingultu calido præmittant ſpecies diarhodonis Abbatis: ſive in tabulis, ſive conſervæ alicui, ut rob. de ribes, aut berberorum mixtas: aut ſi hinc minus juventur, ſumant unum, vel duos ſcrupulos Philonii Romani, cum ſyr. papaveris, & aqua menthæ vel abſynthii. Cæterum cum virginem illam cujus ſupra memini curarem, nec hoc medicamine, quod pleroſque juvat proficerem, ſingulis doſibus opii tria, vel quatuor grana remiſcebam. Si ſingultus frigoris ſoboles ſit,

ſit, R. Schœnanti, calami aromatici, aniſi, ſalis menthæ & abſynthii ana dragmam unam, croci, ligni aloes, ambræ, cariophyllorum, aloes Alexandrinæ, ana ſcrupulos duos, coriandrorum cum ſucco cydonii præparatorum, caſſiæ ligneæ ana ſcrupulum, conſervæ aurantiorum uncias duas, cum ſaccaro aqua aniſi ſoluto q. ſ. f. elect. *Vomitu* moleſto vexati, regionem ventriculi linant ungento, quod capit olei maſticini unciam ol. macis ſemunciam, ſpec. aromatici roſ. ſcrupulos duos, ceræ parum, fiat unguentum. Intus autem ſumant vinum Alleganticum, cui incoxerint radices mali cotonei, cujus unum alterumve cochlear ſufficit; aut utantur radice acori, aut zinziberis, aut anthoræ, aut eringii condita. *Ictero viſcerumque obſtructione* laborantibus, item iis quibus retenti vitium faciunt menſes, commode præſcribebat hoc olim Generoſus & doctiſſimus Guillelmus Paddi. R. troch. de Eupatorio, dragmas duas & ſemis, cyphios ſeſquidragmam, gummi ammonii generoſo vino ſoluti, chalybis præparati ana dragmam, ſpecierum diarhod. Abbatis ſcrupulos quatuor, ſalis cochleariæ, abſynthii ana dragmam ſemis, diaga-

langæ ſcrupulum, conſer. roſ. Damaſc. unciam, conſ. flor. calendulæ uncias duas, cum ſyr. byſantino & de cort. citri ana q. ſ. f. opiata: ſumant dragmam, vel amplius. Pauperibus pulvis interaneorum terræ præparatorum, aut radix rubiæ tinctorum ſuffecerit. *Arenoſi* & *calculoſi*, vel præbibant Heurnii illam optimam inſolatu factam diſtillationem, quæ recipit vini ardentis, aquæ fragariæ, & petroſelini, cujuſque libras duas, malvatici acerbi libram, miſce primum utraſque aquas ardenti, quadrante horæ, mox junge malvaticum, & ſaccari candi tuſi, libram; macera dies octo, nec move, tum effunde, & iterum dies octo, ſoli redde, demum quod clariſſimum eſt deple, ejuſque ante aquas ſume cochlearia tria: quanquam properanti ſat erit, tam diu ad ignem, vel in ſole phialam agitaſſe, dum ſaccarum ſolutum ſit, quod duabus vel tribus horis confieri poteſt. Ego his annis multum fæliciter hac aqua uſus, ſoleo addere aquam ex baccis paliuri, & parietaria diſtillatam, remiſceoque olei vitrioli guttas, quot ſumentis palato ad acoris gratiam ſufficiunt. Aut elect. diaſpermaton Fernelii dragmas tres vel quatuor præcipio. A *Renum ul-*

cere

cere male habitis feliciter præſcripſi, ℞. olibani, maſticis ana unciam ſemis, gummi arabici, ceraſorum tragacanthi, ana dragmas duas, ſem. frigid. mund. ana ſeſquidragmam; troch. Alkekengi dragmas tres, extracti corticum rad. juſquiami, croci ana dragmam ſemis, cum ſyr. de althea Fernelii f. maſſa, de qua deglutiat dragmam. Ad *gonorrhœam*, aut *fluorem muliebrem*, utiliter præſcribitur hic pulvis, qui habet cupularum glandium, ſeminis viticis, ſem. cannabis parum toſti, gummi arabici, tragacanthæ, carabe, mummiæ, boli armeni, mandibularum lucii ana ſemunciam, caphuræ dragmam, cum terebinthina cypria f. pil. parvæ, quarum ſumant dragmam: aut cum ſyr. myrtillorum aut de roſis ſiccis, ducatur in formam opiaæ. *Verminoſis* divitibus do bezoar, cum oſſe cervino, eo quo dixi tempore collecto; pauperibus vel corallinam, vel mercurium crudum, crebro tantum per corium tranſitu repurgatum, à quo qui ſibi metuit legat Mathiolum, Fallopium, Maſſam, Geſnerum, Cratonem, Fœlicem Platerum, alios.

Cap. XII.

Tempus bibendi aquas Spadanas.

Temporibus medicina valet, data tempore proſunt:
Et data non apto tempore, vina nocent.

Etiam lympha Spadana niſi anni aptum quis tempus ſeligat, horamque diei commodam, nocitura eſt; univerſim omne tempus ſudum, quoties aer ſerenat, huic potui peropportunum: pluvio cœlo, cum Jovem per cribrum mingere, nugatur Ariſtophanes, aut cum denſa, & mox caſura pendent nubila, multum de aquæ hujus viribus & præſtantia decedit. Nec mirum eſt admixtione craſſiorum vaporum, vel imbrium, has aquas adulterari, aciditatemque nativam, ſi non omnino deponere, minimum certe ejus retinere, atque ad communium fontium ſaporem accedere; Quod bibentes magno ſuo tædio experiuntur, qui magno ſumptu, majore nauſea, multum maris & terræ emenſi, quando cælum tota fere æſtate, ut hoc anno, pluvium nacti; inſipidam ferme, aut minimum acrimoniæ habentem bibunt aquam. Verum cum æſtate, & Autumni initio,

initio, dies ut plurimum ſint ſereniores, ſpatium quo ſol noſtrum pererrat Horizontem longius: iterque facturis commodius, multaque ad ambulandum invitent, unde calefacto corpore avidius,&copioſius hauriuntur aquæ; ideoque hoc anni tempus reliquis opportunius judicant omnes Medici. Germani, & Belgæ neſcio à quo Macaroneorum ſcriptore verſum ſumpſerunt,

Menſibus in quibus R. non debes bibere water.

Itaque ante Majum,& poſt Auguſtum,boni viri, vini quam Lympharum cæteroqui amantiores, aquam bibendam negant. Si de aliis fontibus, ſtagnis, lacubus, quos primo vere ranarum bufonumque ſpermata; ineunte Autumno decidua vicinarum arborum infamant folia, ita ſentiunt, eorum ſententiæ libens ſubſcribo: Sin hos fontes aliorum numero adſcribunt, in alia eo omnia. Nam & veris tempore, & Autumni, & hyeme etiam adulta, cum omnia gelu acri rigent, & penetrabile frigus, non terræ tantum mandata ſemina, ſed & mineras per antiperiſtaſin calefacit, ſummo cum fructu hæ aquæ bibuntur. Ante 25. annos Illuſtriſſima Domicella Henrica de Rohan, ad vigeſi-

geſimum uſque Septembris diem, me ſuadente & præſente, magno ſuo bono bibit. Et omnibus annis ſuperioribus, novi multos, & inter alios Antwerpianum quendam civem, ulcere renum à quo etiam liberatus fuit, laborantem, totas tres hyemes continuas hanc aquam bibiſſe: & ſane media hyeme, cum per oppoſitionem frigoris contrarii, calor in ima terræ ſe recepit viſcera, aquæ acerrimæ ſunt, quod mea experientia ſæpius didici, quæ cauſſa fuit, cur cum Illuſtriſſimus Mantuæ Dux, fælicis memoriæ, Thomæ Ryetio Socero meo, mihique in mandatis dediſſet ante triginta annos, ducentas ut aquæ lagenas ipſi mitteremus, ipſa vigilia Nativitatis Domini, cum multos ante continuos dies gelaſſet, eas implevimus præſentes, ſimulque aquam guſtavimus acriorem, quam ullo unquam æſtuante Syrio. Certum tamen eſt bibendas hyeme aquas ad ignem luculentum, aut in ſtufa, ut vocant, vel cubiculo probe calfacto, ne ſi bibentes frigeant, quod ſibi, & aliis accidiſſe ſcribit bit Fallopius, aut reſolvantur, aut convellantur. Eadem cauſſa eſt, cur cum mollis præceſſit hyems.ut ſæpe obſervatum, aquæ ſolito inefficaciores ſint. Cæterum con-

ſtat puriorem æſtatis aerem, corpora potus ſitientiora, tempus ambulationi aptius, Majum, Junium, Julium, Auguſtum, præ cæteris commendare; quod noſtri Leodienſes accurate obſervant. Hi enim indicto Juſtitio, *cum canis arentes findit hiulcus agros*, cum alia omnia medicamenta prohibet, qui dixit, *exoriente cane, & ante canis ortum, perdifficiles ſunt purgationes*; centuriatim in Spa convolant, caniculæque æſtus hac aqua, mœrores & curas, jucundiſſimis ſalibus eluunt. Quanquam etiam tunc, ſi tota nocte dieque pluat Jupiter, cæptam diætam, ſaltem Savenirii (nam ille citiſſime alluviem eluviei ſentit; tardius Geronſter, tardiſſime Pouhontius, qui etiam quinto quam pluit die, ſæpe nondum vitiatur,) omittere debent? dum quicquid alieni madoris affluxit, effluxerit: quod ex ſapore, qui vel ſemel aquam guſtaverunt, facile diſcernunt. Hæc de menſibus & diebus. Ad horam: cum ſæpe multis dixerim, quod ſæpius dicendum erit, diuretica omnia longe à paſtu ſumenda, corporeque maxime vacuo: tunc bibenda aqua, cum ventriculus cibi maximam vacuavit partem, quod fere fit primo diluculo, una vel altera poſt ſolem

lem ortum hora, cum ſolis ardor temperatior, ambulationem permittit, quæ aquam bibentibus Spadanam, in primis neceſſaria. Dixi una vel altera poſt ſolem ortum hora, ſub meridiem enim, & horis ei vicinioribus, languidiorem minuſque acidum fontem, maxime Savenirium eſt notare, eo quod tum ſolis radii æſtuoſiſſimi, ſpiritus vitriolicos facile ad ſe rapiant. Quilibet ergo qua volet hora matutina, ſexta, ſeptima, octava, nona, cum capitis ſordes, per naſum, os aures, egeſſerit, ventris onus, & veſicæ depoſuerit, bibere incipiat: pranſurus hora undecima, duodecima, prima, prout aſſueverit: aquam concoxerit, & emiſerit: atque prout fames optimum ciborum & condimentum & cocus, prandendi horam dictaverit.

Cap. XIII.

Quis modus bibendæ aquæ.

BIbituri, vel pedibus, equo, rheda, ad fontem conferre ſe poſſunt: vel ita debiles ſunt, ut aut lecticariis, aut ad ſellam famulis egeant: aut cubiculo efferri, nullo modo ſine periculo queunt; primi, matutinis quas dixi horis, Savenirium adeant, eo quo dixi

cælo,

cælo, jejuni, aut hauſtis prius aliquot unciis aquæ, puta viginti aut 25. ex Pouhontio. Secundi modo quo poſſunt optimo deferri per homines, aut jumenta ad fontem ſe curent. Tertii per famulos à pedibus domum, aquam è Savenirio, aut alio fonte prout ſuaſerit Medicus, ferri ſibi imperent: eamque vel in lecto, vel ante focum bibant. Cum ad fontem ventum fuerit, ſiquem vel corporis pondus, vel ſuccuſſorius equus, (difficile enim eſt & ſalebroſum iter) fatigarit, paulum quieſcat, deinde bibere incipiat, ſenſim inter hauſtus ſingulos obambulando, nam ambulatio calefacit viſcera, quæ ideo aquam avidius attrahunt magiſque roborantur. Et quoniam actuale frigus ventriculo bellum indixit, plerique aliquid ſeminum aniſi, coriandrorum, carvi, cumini, vel ſingula, vel ſimul mixta, vel obducta ſaccaro, vel nuda ſumunt. Ego meis fere tabellas præſcribo in hanc formam, de quibus unam, vel dimidiam inter ſingulos hauſtus capiunt. R. Specier. aromatici roſati, diambræ, pleres archon, ana dragmam unam, diatrion pipereon, ſalis abſinthii ana dragmam ſemis, cum ſaccaro aqua cinnanomi vel aniſi ſoluto q. ſ. f. tabellæ ut manus Chriſti, quæ lin-

linguam non nimis feriant. Aut Recipe ſpecier. diacumini, roſatæ novellæ ana dragmam, macis ſcrupulum, ſaccari, aqua cin. ſoluti q. ſ. f. tabellæ guſtui gratæ. Pauperiores ſola radice Zedoariæ, galangæ, ænulæ campanæ, angelicæ, acori, nuce moſcata in exigua quantitate, uti poſſunt. Sed qua quantitate bibendæ aquæ? Pigræus dicit incipiendum ab unciis aquæ 10. & ſurgendum ad 20. Aquæ enim bonitatem non quantitate ſed qualitate metiendam: Tabernæmontanus à ſedecim unciis incipit, & ſurgit ad triplam, vel quadruplam doſim. His ego nullo modo ſuffragari poſſum, cum quotidiana experientia conſtet, omnes qui parum hujus aquæ bibunt, nihil juvari, imo multum rebus ſuis officere, quod magno meo mœrore vidi ante 25. annos, in uxore Illuſtris Viri Domini Conue Angli, Gubernatoris Brielani, quæ cum quadriennio ſcyrrho Lienis; & quæ ei ſubſequa eſt, quartana laboraſſet, cum ab optimis Medicis Spadam, ut ad Æſculapii miſſa templum eſſet, nec ultra 30. aquæ uncias bibere poſſet, in febrem primum tertianam, quæ octavo poſt die, in quartanam ipſi exitialem mutata eſt, indicit, ægriorque ad ſuos quam huc

huc venerat, me rogante ut mature domum ſe reciperet, rediit. Qui vero multum, imo plurimum aquæ hujus ingurgitant, hi ſunt qui magnis ſe liberant incommodis, ut Carthuſianorum ille Viſitator, qui triſæcli Neſtoris annos quinquaginta unciis ſuperabat, ut jam ingenioſiſſimus ille Poetarum, de ſolo Annæ Perannæ fonte dicere non poſſit,

Invenias illic qui Neſtoris ebibat annos.

cum hic à multis eos ſuperari fere in dies videamus. Itaque optimè ſi quicquam aliud Frambeſarius, Quanto quiſque plus biberit, eo melius habebit, dummodo aquas bene egerat. Quiſque ergo cum ventriculo rationem ineat, quantum aquæ ferre poſſit, & quam cito illam egerere, hancque ſemper regulam in animo & ore habeat. *A juvantibus & nocentibus optimam ſumi indicationem*, hoc eſt quod aliqui dicunt, juſtiſſimam harum aquarum menſuram eſſe tolerantiam, quod qui à Medicis diſcere nolunt, eloquentiæ quam nobis tranſmiſere Romani patrem audiant, qui ita 2. de Offic. *Suſtentatur valetudo notitia ſui corporis, & obſervatione earum rerum, quæ res, aut prodeſſe ſoleant, aut obeſſe, & continentia in victu omni, atque cultu corporis tuendi*

di cauſa, & prætermittendis voluptatibus, poſtremo arte eorum quorum ad ſcientiam hæc pertinent. Aut certe quod Hippocrates, de victus ratione ſenſit, hoc Spadanis hydropotis aptemus. Ita ergo ille in libro de veteri Medicina : *Modum neque pondus, neque numerum aliquem ad quem referas cognoſces : certitudinem enim exactam non reperies aliam, quam corporis ſenſum.* Et in libro de locis : *Cibos offeramus ea copia, quantum corpus cui offertur ſuperare valeat.* Itaque omiſſo unciarum ſcrupoſo numero, qui alias his aquis uſi ſunt, earumque uſum commode tulerunt, cum deinceps huc venient tantum ſumant etiam primo die, quantum ſine noxa ſumere poſſunt, hoc eſt, quam diu ventriculum gravari non ſentiunt. Cum enim vel minimum gravitatis aut ponderis, in ventriculo ſenſerint, ab ulteriori eo die potu abſtineant, domumque redeant. Qui huic aquæ non aſſueverunt, aut eam ante non guſtarunt, ut ei ſe aſſuefaciant, vitrum unum vel duo, unciarum decem, vel duodecim capacia hauriant : diebus proximis unum alterumve cymbium adjiciant, dum eo ventum ſit, ut ventriculum quidem impleant, non autem gravent.

Si

Si quis hanc quantitatem in ipſo potationis initio præſcribi miratur, conſulat Aetium lib. 11. cap. 30. apud quem jubet Archigenes, ut ex aquis medicatis ad veſicæ affectus, prima die tres heminas (Chopinas vocant hodie) hoc eſt tres noſtrates libras medicas ſumant, deinde veniant ad ſex: Fallopius ſane ſemper & tuto, à quatuor vel quinque libris incipit, quod ego in expertis optimum judico: nam & Dioſcorides verno cum tempore, ſerum lactis præſcribit, à quinque libris initium ducit. Hippocrates autem lib. 4. de victus ratione in morbis acutis textu 29. lac aſininum præſcribit cotylis duodecim, additque quod ſi corporis robore ſit inſigni, ſuperet etiam decimam ſextam cotylam. Et tamen cotyla continet uncias novem, præſcribit ergo centum quadraginta quatuor uncias. Quanquam iis qui ex facili vomunt, ſæpe ſæpius autor fuerim, tantum ut ingererent, neceſſitatem ut egerendi ſibi ipſi imponerent; ſic enim ſaburram ventriculi, tenaxque & viſcidum flegma villis ejus impactum, optime deplent, & paulo poſt, horæ dimidio interpoſito, vel circiter, ſumpta una alterave tabella, ejuſdem fontis aquæ,

aquæ, ſed minus, quantum tamen ſat eſt reſumant. Hoc ego virginibus, aut aliis cachecticis primo octiduo, aut etiam diutius ſemper ſuaſerim, præeunte mihi Galeno in 5. de uſu partium, ubi ait, Cacochymis vomitionem ſaluberrimam eſſe, cum facilis & moderata contigerit, (talis autem eſt in uſu hujus fontis) & purgationum omnium præſtantiſſimam, noxios quippe humores ex ipſis fontibus ſinceros elicit, & vacuat omnem, quæ in ventriculi cavitate, ejuſve tunicis hæret illuviem. In primis expurgat è præcordiorum membranis, è cavis jecoris & lienis, & ex pancreate, omnis generis ſuperfluos humores ſinceros elicit, quos alioqui nec hiera, nec aliud vehementiſſimum medicamen in alvum deturbare poteſt. In ventriculum enim ex his locis viæ breves ac expeditæ, magis quam in alvum directæ ſunt, per quas facilis eſt vomitio. Quanquam autem ab interioribus evellit, conſecutione tamen caput, reliquumque corpus levat. Quocirca omnibus opitulatur affectibus, qui à præcordiorum impuritate ortum acceperunt, languenti appetentiæ, vomitioni crebræ, nauſeæ à cibi faſtidio, ventriculo præcordiiſve diſtentis, ictero

ac cachexiæ, febribus intermittenti-
us, hemicraniæ, vertigini, epilepſiæ, om-
buſque capitis affectibus, qui præcordio-
um ſympathia contracti ſunt, & quos è
ræcordiis in reliquum corpus effuſa im-
uritas protulit. Huc uſque ad verbum
Galenus. Prudentiſſime ut pleraque alia
monet Ryetius, quantitatem quam ſibi
uiſque præſcripſit quam minimo poteſt
empore ut hauriat, hoc eſt totam pota-
ionem ſemihora abſolvat: cum enim
æc aqua facile permeet, fieri poſſet, ut
rima egereretur, poſtremis nondum in-
geſtis. Quod etſi probet Fallopius pag.
167. omnes tamen improbant, quia ulti-
næ neceſſario tardius educerentur magno
bibentium malo: idque quotidiana pro-
bat experientia, cui quotquot Spadæ ſæ-
pius fuerunt, volentes ſubſcribent. Nec
miretur quiſpiam quod incredulos ſæpe
Spadam evocem: Empiricum enim me-
dicamentum eſt, atque ab experientia
nventum, idemque his aquis quod The-
iacæ & Mithridatio evenit, quæ cum
ine ratione, ſi vulgatas ſpectes deſcrip-
iones, compoſita ſint & multa ſuperflua
ecumque pugnantia excipiant, multos
amen & contrarios affectus ſanant.
Idem

Idem de his aquis dicendum, videat, experiatur neceſſe eſt, ut ſupra extremo cap. 9. dixi, qui fiduciam in his aquis certam poſt Deum ponet; tum crediturus cum plurimos morbos, qui nullis ceſſerunt medicamentis, hic profligatos viderit. Angli ſtatim ab aquarum uſu, per tubulos ei rei factos. Peti fumum hauriunt, quod non improbo, magis probaturus, ſi producto anhelitu, diutius fumum ore premerent, nec tam cito per os, & nares exſufflarent. Nulli enim dubium eſt quin igneus tabaci fumus cum ad exitum alia porta non patet· in ventriculum dimiſſus, aquas calfaciat, atque ita mictionem ſeu aquarum exitum maturet. Potis aquis domum redeundum, vel alia via corpus exercendum, quod equo gradario, vel rheda citatiore, certa experientia ſæpius edoctus, quam pedibus fieri malim: præterquam enim quod iter pedibus facienti ſudores facile erumpant, atque ita ſerum alio diverſum per urinam parcius exeat; ſeſſio in equo vel curru, muſculos abdominis & inteſtina, ipſumque ventriculum comprimit, validiuſque corpus agitat, unde aquæ citius concalfactæ, promptius eminguntur, quod cuivis experienti clariſſimum

mum fiet. Vidi qui ut aquas fœlicius redderent, ſecunda poſt illas ſumptas hora lectum petebant, ſeque optime cooperiebant, itaque promptiſſime aquas reddebant. Hoc inter alias fecit ante ſeptemdecim annos, uxor ampliſſimi Præſidis Pariſienſis Domini de Meſnil, & mercator quidam Amſterodamenſis eventu fæliciſſimo, & poſt eos innumeri alii, ut jam plurimi in lecto fælicius quam aliis exercitiis aquas optime egeri, experiantur. De tempore hujus diætæ nihil ſtatui poteſt; quiſque prout juvari ſe ſenſerit ex conſilio præſentis medici, dies 20. 30. 50. continuet, imo ſi opus ſit, toto anno bibat; idque ſi morbus mali moris & pertinax ſit, plures annos repetat, ea lege ut ſemper aquam ſudo cœlo hauſtam potet, aliaſque bibendi regulas obſervet.

Cap. XIV.

Diæta Acidas bibentium.

SI unquam, etſi ſemper, quando à fide noſtra non abit, hic ſane Seneca audiendus, qui ita lib. de tranquillit. *Placet cibus quem nec parent familiæ, nec ſpectent, non ante multos paratus dies, nec multorum manibus miniſtratus, ſed*

parabilis faciliſve, nil habens accerſiti pretioſive, ubilibet non defuturus, nec patrimonio gravis nec corpori, nec rediturus qua intraverat.

Utantur omnes cibis ſibi conſuetis, probi tamen ſucci quique facile digeri, & per venas meſeraicas hepati diſtribui poſſunt: hoc eſt quod loquuntur Medici, euchymis & eupeptis. Condimenta è multis aromatibus aut pinguedinibus, bene rejiciunt Geringus & Ryetius. Hoc eſt quod 7. Saturnal. cap. 4. apud Macrobium dicit Diſarius Medicus doctiſſimus: *vitandos cibos, qui ultra ſitim famemque, appetentiam producerent.* Hoc ſane faciunt condimenta quæ novo ſemper modo gulæ lenocinantur, appetitumque excitando eo famem provehunt, ut aptam corpori victus rationem, ſæpe duplo vel triplo excedant: Cibariorum genera cum iis laudo Capones, pullos, perdices, columbos Phaſianos, ſi inveniantur, gallinas ſylveſtres, turdos & alias quas Spadanum forum exhibet aviculas, quando, ut vult Galenus lib. de attenuanti victus ratione unum diem ſuſpenſæ fuerint, nam neque perdicem recentem, neque turturem, ce vult: ſic enim ipſarum durities ſi uno ſerv

tu

tür die, evincitur, fiuntque omnino friabiles, atque inculpatæ, verveces item, vitulos, cuniculos. Quæritur an lepores conveniant? Vulgus eos menſa ſua arcet; melancholicum animal dicit, timidum vocat: Mihi eorum cauſam tueri certum eſt; ne inauditi & indemnati exulent, atque cum Martiali dicere:

Inter aves turdus ſi quis me judice certet,
Inter quadrupedes gloria prima Lepus.

Ac ne fruſtra Poetæ credere videar, hoc conſtat neminem feliciter Parnaſſum conſcendiſſe, qui non prius Philoſophia, omnique rerum naturalium peritia inſtructiſſimus fuerit, ut fuit ſane hic Epigrammatographus. Melancholicus eſt, inquiunt, cibus. Dico eſſe cibum melancholicum ſeu melancholicorum, id eſt curantem melancholiam, quod probo præeunte mihi Galeno, qui lib. de Alimentis tertio, Leporis ſanguinem ſanguini columbarum, gallinarum, omnium denique altilium præfert, ſuaviſſimum eſſe dicit. Si ſanguis laudabilior, ergo & caro quæ ejus ideam refert, quæque nihil aliud eſt quam ſanguis, muſculis, vel eorum fibris annexus & coagulatus, & in carneam ſubſtantiam concretus. Eſt enim ſanguis ſi non ultimum alimen-

tum aliti in ſanguineis, ut docet Ariſtoteles lib. 2. de Part. c. 3. & 4. de Generat. animal. cap. 4. lib. de Juventut. cap. 2. quod idem repetit eodem lib. cap. 7. initio : conſtat tamen præcipuum eſſe nutrimentum animalis, ut docet Galenus lib. de curatione per ſanguinis miſſionem. Idem Galenus lib. de Alimentis 3. ſub initium dicit, Leporis carnem melioris ſucci ſanguinem gignere, quam faciat caro ovilla, vel bubula. Si hæ quotidie menſis inferuntur etiam divitum, cur exulet lepus iis ſuavior, meliorisque ſucci? Sane doctiſſimus Heurnius, leporinam carnem inter ea quæ melancholiam in renibus alterant, primo loco recenſet : non eſt ejuſdem melancholicum eſſe, & melancholia alios liberare ; nam ſi quis hic naturæ ſimilitudinem, vel totius ſubſtantiæ opus rimaretur, naturæ ſcutica dignus eſſet. Aretæus etiam antiquus & doctus Medicus, epilepticis diætam præſcribens, abſtinentiam carnis iis indicens : *veſcatur tamen* inquit, *leporina*. Ita ex illo Heurnius lib. de Morbis capitis, cap. de Epilepſia pag. 284. Atqui epilepſia, ut plurimum eſt à melancholia, vel certe melancholiam inducit : & Epileptici timidiſſimi ſunt, quia ſemper timent

timent caſum. Timidum dicunt: non capio hujus timoris cauſam, cum & ipſe ſæpe viderim leporem irretorto oculo venatorem intueri, eum ita prope admittere, ut baculo, vel haſtula feriri, aut tranſverberari poſſit, quod & ego ipſe aliquando feci. Si, quia canes ſibi inſidiantes fugit, timidus vocari meretur, quid ovibus timidius, quorum toti greges, unius melitæi catelli, & abblandientis, aut luſuri, baubatu verius, quam latratu, in fugam aguntur, & tamen eduntur quotidie? Cedo mihi ullum animal, quod multis petitum canibus non fugiat? Apri, Urſi, Lupi, Tauri, Alces, Leones ipſi, fuga ſibi dum poſſunt conſulunt, cum eorum tergo moloſſi inſtant, qui ſane ipſimet, viſa vel baculi umbra, ocyus ventis & agente nimbos ocyus Euro, aufugiunt. Ne ſirint ſuperi, ut fortiſſimus veſtrûm ab Ibero victore inermis & nudus (quod in India factum ſcribunt ipſis Regibus) canibus objiciatur, pugnaturus cum ipſis: quanquam tunc certo daturos vos manus ſcio, faſſuroſque eum qui canes morſuros & laniaturos timet; nullo ſuo merito timoris argui, timidumque vocari. Jam ſi alimentum eorum conſideremus, optimo veſcuntur,

tur, planeque eodem cum perdicibus, quorum tamen eſu ſolo, gallicum morbum, qui eo ſepties laboravit, ut ipſemet teſtatur in lib. de capienda utilitate ex adverſis, curari, ſcribit Cardanus: cui adſtipulatur Ludoicus Mercatus libro ſecundo de Sanitate, claſſe ſecunda, quæſtione 164. In principio pag. 31. Atqui gallicus morbus, vel invenit hominem melancholicum, vel eum talem facit; cur ergo eundem effectum negemus lepori, ſi ſanguinem perdice ſuaviorem, melioriſque ſucci habet? Veniat ergo in menſam lepus ætatis mediæ, hoc eſt ſemeſtris, nam effœtos, ut in omni alio animalium genere rejicimus, ſed elixus, modicoque aſperſus pipere. Clunes aſſari poterunt ſine ullo tamen lardo: aut ſi, quod Gallis familiare, infixo larido diſtinguendæ ſunt nates, cum menſæ inferentur, lardi fruſta eximantur. Eſurialibus diebus in menſam veniant Truttæ, quarum magna hic copia, Ombræ, Lucii, Gobii, Perchæ, aliique ſaxatiles, in craticula aſſi, aut in vino elixi cum ſerpillo, origano, hyſſopo. Mentham addit Ghæringus, ſed ea non utantur fœminæ, quæ conceptionis gratia huc veniunt: nam ut ſcripſit Caſſius Dionyſius lib.

12.

12. Geoponicôn, mentha conceptionem impedit, & generationi adverſatur; cæteris utiliſſima eſt, & maxime rubra. Abſtineant omnes à lardo, pernis, Anſeribus, Anatibus, niſi ſint ſylveſtres, à porcellis monent alii abſtinendum, cæterum quia nondum venales in Spa vidi, non eſt cur hoc moneam. In piſcibus præter Anguillas, Aſellos, Tincas, & Carpiones, non vidi quos rejicerem. Pro bellariis adferantur cortices citri ſicci ſaccaro obliti, ſemina aniſi, fœniculi, uvæ paſſæ, nuclei pini, piſtachia, & exeunte æſtate, poma aut pira toſta, cinnamomi tantillo aſperſa, vel vino incocta, parca manu ſumpta, ut & pruna damaſcena. Fraga etiam, & vaccinia bilioſis egregie ſanguinem temperabunt, ut & mora, quæ etiam aliis, ſi vino madeſcant, non nocebunt. Cæterum hæc omnia parce & avara manu ſumantur, idque in prima menſa, & quod caput diætæ, diverſitas maxime ciborum vitetur. Cum enim diverſorum alimentorum natura ſit diverſa & temperamentum, imo ſæpe pugnax & contrarium, unde alia citius, alia tardius concoqui neceſſe: hinc mala quibus medicinam ab aquis his petimus, procreantur, ut flatus, tormi-

na, colicæ, renum dolores, & calculi, obſtructiones meſeraicarum, totius chyli, & qui ex eo ſit ſanguinis cruditas & inquinatio. Optimè Fran. Valeriola locorum communium lib. 2. cap. 6. *Ciborum*, ait, *varietate & copia in eadem menſa, & productione in longas moras, nil nocentius homini ad ſalutem, omnibus ex æquo medicis viſum eſt.* Ipſe Plato, varios ciborum ex varietate naſci morbos ait. Et Plinius lib. 2. cap. 5. *Hominis cibus utiliſſimus ſimplex; acervatio ciborum peſtifera, condimenta pernicioſa.* Hæc de cibo. De potu quid dicam? hæret enim mihi aqua de aqua ſcribenti. Aliqui qui mihi præſcripſerunt, vinum Rhenanum aqua quæ in planitie ſcaturit, hoc eſt Pouhontio dilutum, præſcribunt; Parcite mihi virorum optimorum & doctiſſimorum manes ſancti & amiciſſimi, hanc opinionem veſtram probare non poſſum; Primo quia vultis omnes priuſquam prandeant, aquam potam eminxiſſe; quid hoc opus eſt, ſi in prandio novam bibere debent? hoc ſane contradictionem & pugnam ſapere mihi videtur, velle ut pranſuri omni aqua vacui ſint, & interim novam prandentibus ingerere. Sed vinum hac aqua diluitis. Multi vero,
maxime

maxime Galli,& magis Gallæ non diluunt vinum, ſed aquam, ignoſce Cicero, vinant, hoc eſt minimo vini, duplum vel triplum aquæ affundunt, ſicque miſerum Bacchum, cæteroqui parum generoſum (fere enim Moſellanica hic vina bibimus) nimiis aquis merſum, ſuffocant. Secundo; omnia diuretica, ſeu urinas moventia etiam vos longiſſime à paſtu ſumi vultis: at vero hæ aquæ fatentibus omnibus inter diuretica primas tenent: nam ſcribit Pigræus ſe vidiſſe una cum doct. Martino & Baſino, quendam aniſum inter aquas ut ſit comedentem, integrum ejus granum eminxiſſe. Oculato teſti, & cui ſunt præmia falſi nulla, fidem negare, hominis eſſet parum urbani. Si potuit aqua hæc aniſi ſemen digeſtu non perdifficile, per gulam & ſtomachum, in meſeraicas, hepar, renes, emulgentes venas, veſicam, penem ipſum perducere, quomodo chylum crudum & indigeſtum ſecum rapiet, maxime Rhenano vino, quod & ipſum diureticum eſt, juncta? Malim ergo in prandio bibant merum meracum, vel Belnienſe, vel d'Aii, aut ſane Moſellanum, quodvis denique, modo fumoſum non ſit, nec caput tentet: hæc enim in ſom-

 nos

nos meridianos, catorrhorumque generationem proclivia ſunt, cui qui aquam miſcere volet, ex fonte dulci petat, vel diluat aqua puteali, cui cinnanomi quantum volet incoxerit, puta unciam unam, pro libris quatuor. Si hoc coquas ad conſumptionem libræ unius, addaſque ſaccari uncias tres, his per pannum colatis, nihil ad potum quotidianum jucundius. Si quis objecerit, nil aliud in prandio, cœna, jentaculo ipſo, Spadæ incolas præter hanc aquam, & ſane innoxie bibere. Dico eos à puero aſſueviſſe, aſſuetudinem autem ſecundam eſſe naturam, quo fit ut nihilo magis ab hac cum cibo pota lædantur, quam Ariſtotelica illa puella, quæ etiam Napello, quo omnes alii interibant, pingueſcebat. Horam prandii dictabat Socrates divitibus cum vellent, pauperibus cum haberent. Hic prandendum eſt quando aqua vel omnis, vel maxima ex parte reddita eſt ſcaphio ſeu matulæ. Cæterum quia multi primis ſaltem diebus, parum aut certe vix dimidium aquæ reddunt, ne illi nimis dilato prandio ſibi noceant, hoc ſignum temporis ſumendi oportune prandii habeant: Si quis hauſtis aquis, aliquid albæ urinæ, ut ſolent omnes,

mnes, excreverit: deinde coloratam urinam minxerit, ſecure prandeat; certum enim eſt reliquam in corpore contentam aquam, à natura diſpenſatrice aſſumptorum, ad aliquem alium uſum retineri: Aut certe cum duas plus minus horas, vel mictio, vel ventris exoneratio, ſi eam aqua cauſavit, ceſſaverit, non dubitet ſe tuto prandere poſſe. Cœnandum cum appetitus vel ratio, prandium concoctum judicaverit. Exercitium cœnæ prandioque commode præmitti monuit. Sexto epidemion Hippocr. ſect. 4. aphor. ult. ubi ait, *Labores cibos antecedant.* Exercendi modum ſi quis ignorat, paucis capiat ex Hippocrate: *Ambulet. digladietur, aut manus geſticulatione, pedes levibus chorais aut ſaltu exerceat, aut parva pila, quæ utrumque præſtat, ludat* (huic fini ſphæriſterium in Spa extruendum curavi.) Hinc enim calor nativus auctior, viſceribus robur & firmitudinem afflabit, ſpiritus augebit, excrementa copioſius rejiciet, ſicque generationi lapidis, & arenularum reſiſtet, fæceſque alvinas ſtimulando à colica immunes reddet, pulſiſque ventriculi ſordibus, appetitum augebit; ſumptumque poſt cibum melius conficiet. Modus cujuſvis exer-

citii eſt quibuſdam, dum leviter mutata reſpiratione, aut incipiente ſudore corpus madeſcat. Hoc eſt quod alibi dixi: *Ad Udorem, non ad Sudorem.* Cæterum cum corpora rara facillime ſine laſſitudine ſudent: compacta autem, etiam laconici, aut quod aliquoties vidi, ſulphurei balnei vim eludant, ſi quis exercitium ſudore aut anhelitus mutatione metiri nolit; is cum modice fatigari cœperit, exerceri deſinat: ita nec viribus, nec ſpiritibus reſolutis, exercitii utilitatem percipiet. Pomeridianum tempus fabulis, chartarum & fritilli luſu, plerique, & recte terunt, aut quidvis agunt, ut ſomnum meridianum, quo nil nocentius, fugent. Nocere dico ſomnum has aquas bibentibus, vel quia aquarum operationes impedit, cum naturam cujus eſt ſuperflua digeſtione bene facta expellere, ſopiat; humoreſque è corpore deturbandos, parti alicui in qua putiſcunt, includat. Accedit quod hic ſomnus, vaporibus potius mineralibus, quam naturæ adſcribi debeat; quo fit ut caput gravet, ipſum juſto plus calfaciat, ideoque fluxiones, multorum cauſas morborum, cieat. Denium cum hic ſomnus brevis ſit, ideoque cæptam ventriculi coctionem

nem mox deſtituat, cibum quando excitantur, per ventrem fluctuare facit. Bilis etiam, quæ eo tempore foras moveri ſolet, hoc ſomno intro revocatur: ubi collecta, febrim excitare poterit, vel in melancholicum excoqui ſuccum, ſi moram traxerit. Denique contrarios ab hoc ſomno ſuccorum motus cauſari neceſſe eſt; ex luce nimirum foras eos evocante, & ſomno eoſdem intro provocante. Si qius tamen ut multi Italorum meridiari omnino aſſueverit, quia ab aſſuetis parva vel nulla fit paſſio; conſuetudini ſuæ aliquid tribuat, ſedens in ſede erectus, non autem in lecto cubans dormitet potius, quam dormiat. Sub veſperam ante cœnam multi aquam denuo, ſed dimidiata tantum quantitate, ſi ad matutinam conferas, bibendam dicunt. Ego paucis antecœnanam potationem profuiſſe vidi. Itaque niſi quis ſtomacho ſit validiſſimo, parum vel nihil, niſi forte ſitis levandæ cauſa, ante cœnam bibendum cenſeo. A cœna leviter ambulandum, aut jocis luſuique inldulgendum, dum ſomni hora inſtet. Spadani fontis potores, in prato ambulationi aut choræis vacant, vel ſcipionibus quibus ad fontem ituri nituntur, ad palum ſe exercent. Hic

duo

duo mihi prius non obſervata, ſerio monendi ſunt hydropotæ noſtri: Primum, ut ſub octavam horam, nondum primis intendentibus ſe tenebris, nondum aura nocturna aerem afflante, qua plurimos lædi & catarrhis affici vidi, diverſorium ſuum repetant. Alterum ne nuda in humo, tripudia ſpectantes ſedeant. Monuerat Galenus 10. de loc. aff. ſub finem, ſolere interdum reſolvi ſedis muſculum iis, qui ſuper lapidem frigidum ſediſſent, aut in aqua frigida ſupra modum verſati eſſent. Hanc autem reſolutionem ſequitur, inquit, involuntaria excrementorum dejectio. Hæc Galenus, quem ſane ſi puellæ quædam Illuſtres audiſſent non ea paſſæ fuiſſent, quæ ipſas in vitæ deſperationem adigerent. Ingenue fateor me annis ſuperioribus à quibuſdam ſub mediam noctem accitum, quæ ſeſſione illa pratenſi dyſenteriam, tantum non lethalem, teneſmumque moleſtiſſimum incurrerant. His ego poſt rhabarbari in aqua plantaginis infuſionem, cum ſyr. de roſis ſiccis, & myrtillorum exhibitum, fotu galiopſeos & verbaſci, ſanitatem brevi, cum Deo, reſtitui. Sapiant aliæ aliique harum exemplo, & ſi pulvinaribus, aut ſedilibus uti nolent; ſaltem

tem pluribus & fultis feſtibus podici ſuo conſulant (ſupradictæ enim puellæ, unâ, eaque tenuiſſima ſyndone nates vel velabant, vel quod deteſtatur ſapiens, amatoribus ſuis mirandas præbebant:) aut quod malim, vel in horto non ſedeant, aut pallium anteambulonis, caculæve ſagum ſibi ſubſternant.

Cap. XV.

Quæſtiones quædam in Spa proponi ſolitæ obiter ſolvuntur.

QUæritur primo, cur fœces has aquas bibentibus omnibus omnino, exceptis pauciſſimis, nigreſcant. Conſtat ab aſſumptis & urinam, & alvinas ſordes colorari: ſumpta croco, aut rhabarbaro, flaveſcunt; A Sena vireſcunt; à pomo Granatorum, aut ejus ſyrupo nigreſcunt, imo Virgilio

——— in pratis aries jam ſuave rubenti
Murice, jam croceo mutat ſua vellera luto,
Sponte ſua & ſandix paſcentes induit agnos.

Quod vel ex illo, vel ex Plinii lib. 31. cap. 2. deſcripſit Solinus cap. 35. Varronem hujus dicti autorem citans. In Spa plerique nigroris cauſam adſcribunt vitriolo, deluſi forte, quia vitriolum atramentum ſutorium vulgo audit,

dit. Cæterum à vitriolo nihil nigreſcere hinc patet, quod oleum, vel ſpiritus calchanti aquæ injectus,& potus, nec urinam, nec fæces bibentis ulla nigredine tingit. Imo quod Chymiſtæ, ut ſunt miriones, vel moriones, pro mirando miraculo habere ſoliti ſunt, ſi vino rubro injiciatur oleum vitrioli, ipſum albefacit momento; quomodo ergo quod vinum rubrum albere facit, fæces flavas nigrefaciet? Adde quod vitriolum aquæ incoctum, vel aquæ colorem non mutat, vel obſcura flavedine ipſam tingit. Dico itaque à ferro aut ejus rubrica quæ plurima his aquis ineſt, nigredinem induci: cum liquido videamus eos qui vinum chalybeatum, vel chalybem præparatum ad unum tantum ſcriptulum in pilis aut bolo ſumunt, nigerrimas à prima ſtatim ſumptione ſordes dejicere. An fieri poteſt, ut ceu parum bilis flavæ, fæces flaveſacit (in ictericis enim bile alio tranſlata, griſeæ, vel cineritiæ ſunt ſordes;) ita minimum melancholiæ his aquis lieni eductum, hunc noctis colorem ſtercoribus aſpergat? Prima ſolutio verior, quia & ſanguineis, & omnibus ab atra bile alieniſſimis idem accidere, quotidiana docet experientia.

Quæ-

Quæritur 2. cur mulieres è Savenirio aquam advenis haurientes, pluviam biduo ante, vel triduo præſagiant, dicentes cælo etiam ſereniſſimo: Pluet, quia fons cecinit. Fontem eſſe apud Volaterras ait Leander in Italia ſua, ex quo deprehendas futuras pluvias ſi alte ſaliat: ſalit enim ad decem uſque pedes, vel eo amplius; at ſi lenius fluens minus alte ſaltitet, futuram ſerenitatem conjicias. Sed hic & præſagii, & cantus ut loquuntur, reddenda ratio. Dico fieri ruſticæ quæ Bobelinis ſunt à cyathis, quia cum ut pluat neceſſario vapores à Sole in altum trahi debeant: hæc vero aqua quia leviſſima, & ob multos quibus turget ſpiritus maxime aërea, facillime à ſolaribus rarefacta radiis, magna copia in vaporem reſolvitur, altumque in nubem cogenda petit; quare ne detur vacuum, quod naturaliter dari non poſſe demonſtrant Phyſici, copioſior ſe aquis à Sole eductis immiſcens aër, ſtrepitum illum, quem in lagenis anguſti oris, liquorem effundentes percipimus, edit. Hunc ſive ſibilum, ſive ſtrepitum miſcentis ſe fonti aëris, ruſticæ hæ mulieres cantum vocant. Quia vero coactæ nubes, niſi ventus eas alio rapiat,

rapiat, in pluvium reſolvuntur imbrem, ideo pronum eſt illis, Æolo ſilente, ventoſque cohibente, pluviam præſignificare, quam ut plurimum ſequi, experientia rerum magiſtra ipſas docuit, quo fit ut ſæpiſſime, imo fere ſemper, verum venturæ pluviæ vaticinium edant.

Quæritur tertio, cur multi quibus alvus domi ſteterat, hic laxiſſimam experiantur; alij vero qui domi minimum in dies ſemel ſecedebant, in Spa toto octiduo, nec ſemel ventris onus deponant ſine medicaminis auxilio. Dico hoc fieri, quia illi, veſicula fellis obſtructa, quæ ſola fæcum ſtimulus eſt, pigrius ſeceſſere, qua obſtructione per has aquas ablata, bile conſueta ſibi via in inteſtinum jejunum ſe effundente, ejus allapſu ſtimulari & effundi ſtercora neceſſe eſt. Aliis vero, humoribus aquarum vi ad renes & veſicam majori copia delatis, ſicciora fieri inteſtina, atque alvum inde pigreſcere neceſſarium eſt: Et hinc eſt, cur omni diarrhϾ, dyſenteriæ, hepatico fluxui periti Medici omnibus medicamentis, urinam moventia adjungunt, ut ſcilicet humores ſeroſos ad inteſtina ituros, ad renes devocent, ſicque fluxum quadantenus ſiſtant.

Quæ-

Quæritur quarto, cum aquæ pluvio cæ-
ad plures prolato dies fere dulceſcunt,
hilque aut parum aciditatis habent, ideo-
ue nec jucunde, nec utiliter bibuntur,
ua ratione, ut cum fructu ſumantur,
nendari poſſunt. Dico quod etſi therma-
s aquas nulla pluvia corrumpi credidit
Iercurialis, tom. 3. conſ. in conſilio pro
rincipe Auria, graviſſimum authorem
itans Senecam, qui ait: *numquam ultra
ecem pedes profundo madeſit terra*, ut hac
atione fontes profundiores cum ſint, plu-
iis corrumpi nunquam poſſint: tamen
xperientia contrarium in dies docet. Etſi
evera fateri cogar ab aëre vel pluvio, vel
pluviam prono magis quam ab ipſa plu-
ia fontes vitiari. Pluviam enim aquam
tatim fontes, ut & alias ſordes evomunt:
maxima cadente pluvia, ubi primum
erenior fit aër, aquæ aciditatem amiſſam
ecuperant, ſecuturamque longam ſe-
enitatem ſpondent. Quicquid eſt, cum
upra docuerim maximas à vitriolo,
ulphure & ferro his aquis vires com-
nunicari, cœlo tamdiu pluente, cuili-
et vitro aliquot olei vitrioli, vel ſul-
huris guttas injiciendas: ita enim faci-
us penetrabunt, minimumque à veris

Spadæ

Spadæ aquis abludent; quo tempore etiam faciles aliquæ deglutiendæ erunt pilulæ, vel tabellæ, quibus chalybis præparati ſcrupulus unus, vel dragma ſemis ſi adjiciatur, aut tantundem cremoris tartari, minimum aberit quin aquarum quis vel optimarum, integros fructus percipiat.

Quæritur 5. Si aquæ omnino ſtagnent ſeu in corpore maneant, ut aliquibus accidit, quid agendum. Dico varia eſſe aquæ hujus receptacula. Si ergo in inteſtinis aquæ hæſerint, quod ex rugitu, flatu, tenſione, gravitate agnoſces: illo quidem ipſo die clyſterem ex eadem aqua, cum hieræ picræ, vel logadii, vel etiam hieræ colocynthidos uncia una vel duabus injicies, ſicque aquam omnino educes: ſi non ſucceſſerit, ſtatim acriore rem clyſtere tentabis, & poſtridie purgationem pituitæ, quæ tranſitum aquis negavit, inſtitues, idque ſi opus fuerit, biduo, triduoque, omiſſo interim aquæ uſu, facies. Si vero in venis retinetur aqua, quod ex abſentia rugituum, flatus, tenſionis patebit, purgetur corpus poſtridie: nam abſentia doloris illa die clyſterem non urget, pilulis de hiera cum agarico, vel alephanginis ad ſcriptulos tres cum dimi-

dimidio ſumptis, dein cieatur ſudor. Si pilulæ hæ aquam non eduxerint, ſuadet Fallopius & poſt eum Heurnius, ut uni pilularum alephanginarum ſcriptulo, elaterii grana aliquot addantur, quod poſt ipſos Dominus Paddii, cujus ſupra honoris cauſa memini, ſuperioribus annis fœliciter tentavit. Ceterum qui modum elaterii præparandi quem ipſe me in Spa docuit, ſciverit, uno grano, aut ad ſummum grano cum dimidio, in noſtratibus contentus erit, ſummaque felicitate aquas educet; quod ab eo tempore, ſæpe me feciſſe multi teſtabuntur. Hanc elaterii præparationem invenies in Obſervationibus Medicis ante quinquennium editis.

Quæritur 6. an Geronſter tutò potari poſſit. Sunt qui omnino diſſuadeant, conſtat enim etiam me fatente fontem hunc multum bibere ſulphuris; atqui ſulphureæ aquæ, inquit apud Oribaſium, Antyllus antiquiſſimus Medicus, os ventriculi relaxant, ipſum ſubvertunt & effæminant, quod & ipſum ex eo Aetius tranſcripſit: adderet Crato trium Imperatorum noſtri ævi Medicus, ſulphur tantum eſſe arſenicum inchoatum; proinde ab eo paulo minora, quam à præſentaneo veneno peri-

pericula imminere. Dico jam ante me dixiſſe empiricum eſſe medicamentum. has aquas, itaque experientiæ quæ eum jam aliquot annos nobilitavit credendum, cum conſtet, me, infinitoſque alios, ſæpe centum ſexaginta dietim, & plures, idque mane tantum, ad octoginta ultra centum enim aſcendi, cum ſumma utilitate hauſiſſe aquæ hujus uncias. Itaque veriſimile eſt Antyllum de aquis mere ſulphureis locutum; Geronſter autem & ſal, & alumen, & vitriolum, & ferrum, & alia effæminationem ſulphuris impedientia, ipſumque maſculantia habet. Quod ad Cratonem, dico eum loqui de ſulphure perfecto, & Chymicorum organis ſublimato. Conſtat autem omnia venena, quo magis ſublimantur magis venenari, ut patet in Mercurio crudo, & ſublimato, crudus enim etiam magna copia aſſumptus, ſi plumbaginem ei crebro per corium tranſitu, ademeris, parum aut nihil nocet; ſublimati minima quantitas cuivis, eroſis ventriculi tunicis certam affert mortem. Certiſſimum tamen eſt, omnes capitis affectibus obnoxios, ſibi à vertigine aut hemicrania metuentes, plus damni ex hoc fonte quam commodi referre, ob vaporum

nimis

nimis caput ferientium aſcenſum : quod qui omnibus Spadanis fontibus attribuit Tabernæmontanus, qui numquam eos vidit, ſi de hoc ſolo dixiſſet, veritati magis litaſſet. Nam Savenirium & Pouhontium, multis capitis affectibus conducere, certiſſimum eſt.

Quæritur 7. an pueris hæ aquæ conveniant, cum enim Spadani fontes admodum frigeant, & niſi liberaliter potentur parum proſint, puerilis autem calor facile vel lædatur, vel extinguatur, à multum frigidis læſum iri veriſimile eſt : & conſtat pueros minimum ſimul bibere poſſe, ut metuendum ſit, parum hinc commodi expectari debere. Dico tuto bibituros, ſi modo, aquæ proportio reſpondeat eorum ventriculo ; vidimus Filium Illuſtriſſimæ Comitiſſæ vanden Berghe, jam triennio has aquas bibentem, alioſque quam plures, qui cum inciperent vix trimi erant, & tamen hujus aquæ triginta & plures uncias in dies bibebant. Mea ſane filiola ſeſquitertium annum agens bibere cœpit, jamque biennio bibit, multaſque arenas pro corpuſculi ſui modulo excrevit, potis primo anno dietim triginta duabus, & amplius unciis. Idem de aliis pueris, aut ſenibus

bus ad ſecundam pueritiam redeuntibus, dici poteſt. Sic Fallopius Piſanis ad epidemiam quarto quoque anno, dyſenteriam, cum aquas thermales montis Catini, utiliter natu grandioribus propinaſſet: etiam puerulis duorum annorum exhibuiſſe ſe ſcribit, quorum aliqui unicum cyathum, alii duos, alii tres bibebant, omneſque qui biberant à tali morbo liberatos. Vidi hoc anno puellulam unius anni, adhuc lactentem, ad multos dies quotidie pota Pouhontii aqua multam ejeciſſe pituitam, ſicque ab anhelitus difficultate qua maxima laborabat, liberiorem redditam.

Quæritur 8. an prægnantes his aquis tuto uti poſſint; cum enim diuretica omnia menſes movere credantur, motis autem menſibus ingens puero alimenti defectus periculum immineat, merito dubitant multi, tutone gravidis aquæ hæ præſcribantur, cum valde diureticæ ſint. Tabernæmontanus non tantum iis ſerio Swalbacenſes ſuas, & has commendat, ſed certo certius, earum picæ, malaciæ, nauſeæ ipſi ab his aquis remedium pollicetur; & poſt duas paginas fol. 45. dicit harum aquarum uſu abortum certo præcaveri. Mihi

hi hic aqua hæret; agimus de vita hominis, de qua, ut optime Satyricus, nulla nimis cunctatio longa eſt. Dicendum tamen eſt aliquid, neque tam difficilis quæſtio in medio relinquenda. Dico ergo ea quæ de gravidarum vel incientium Pharmacia divinus ſcripſit ſenex, analogia ad has aquas transferri poſſe. Vult ergo Hippocrates ſect. 4. aph. 1. Prægnantes in quibus humor efferus, metaſtaſeos aut febrilis incendii, metum facit, purgandas à quarto menſe, ad ſeptimum. Per quartum menſem, ex mente optimorum interpretum, intelligit tempus, quo moveri fœtus in utero incipit, quod ſi ante quartum menſem, fœtus ſe moverit, etiam tunc matres purgabis, ut fecit Hipp. 1. Epid. Tmemate 3. 12. Primis enim & ultimis menſibus, uteri umbilici, ac ſecundinarum vincula, eo ſe habent modo, quo pedunculi fructuum arboreorum, qui vere non adulto, vel ad lenem Zephyri flatum, & in Autumno ad minimas Eurorum auras concidunt: ita conceptus, vel imelluli, vel maturi, nullo negotio excutiuntur. Dicit item Hipp. ſect. 5. aph. 34. Gravidam, cui profuſior ſit alvus abortire, vel quia ſcilicet tetro fœtus, & abomi-

 nando

nando ſtercorum fœtore, dum per inteſtina utero incumbentia feruntur; graviter offenditur, vel quia alimenti parte, priuſquam in chylum, vel ſanguinem vertatur, cum fœcibus abducta, de fœtus demenſo matriſque decedit:- unde ille genio ſuo fraudatus, exitum quærit, cum uterus ſufficientia ipſi alimenta neget. Hinc colligere eſt, prægnantes hujus aquæ indigas, à quarto geſtationis ſuæ menſe ad ſeptimum, tuto his fontibus, ut & Pharmacia uti poſſe. Cæterum obſervent duo quæ ex citatis Hippocratis Aphoriſmis, colligere eſt; Unum ut in ſeptimo, & ſequentibus eum menſibus, mitius purgentur, quam in ſexto, quinto, fine quarti. Alterum ut quocunque; quis menſe gravidas purgabit, mitius cum iis quam alio agat tempore, ne ipſis accidat quod uxori Antimachi in 5. epid. cui cum valida data eſſent Catapotia, jam ultra quinquaginta dies gravidæ, eodem die, animam cum excrementis egeſſit, ſub mediam noctem. Bibant ergo quæ uterum gerunt dictis menſibus, ſed parciore manu quam alias vel biberant, vel bibituræ eſſent: memores regularum quas ſupra præſcripſi. Si quæ tamen timidiores, nec ita

ta cautum ſatis ſibi putant, in primo vitro
ıccipiant ſpecies diamargariti, aut corallos
ꝛræparatos ad ſcrupulos duos vel tres, aut
i pauperes ſunt, præmandant zedoariam,
loronicum, Been: ungantque ventrem
.b umbilico pube tenus, renumque re-
gionem, unguento Comitiſſæ, utantur-
ue cerato hoc renali, quod Crato in ex-
ertis numerat. Rec. Maſticis unciam,
adani dragmas ſex, pulveris biſtortæ,
ucum cupreſſi, hypocyſtidis, acatiæ, ſan-
uinis draconis, roſarum rubrarum, co-
allorum præparatorum, ana dragmam,
erræ ſigillatæ dragmas duas, cui ſi quid
enacitatis deſit, adde tantillum therebyn-
inæ, & applica locis unguento dicto ob-
tis. Hoc & ego feliciter in uſum vocavi.
a ſane ab abortu tutas fore ſpero, maxime
las quæ etiam ultra dimidium geſtationis
empus ſanguinem, quo abundant, quot
ıenſibus effundunt.

Decreveram quærere nono, cur ali-
ui dum has aquas bibunt altero ſta-
m die, aut tertio, Priapiſmo aut ten-
gine tententur, uti exteris aliquot
oc anno eveniſſe, omnes qui in Spa
ierunt, ſciunt. Cum tamen doctiſſi-
ıus Frambeſarius his aquis nocturnas

pollutiones impediri, eaſque æſtum veneris frænare dicat: Sed quia metuo, ut caſti aliquorum vel oculi, vel aures offendantur, maxime qui hæc in vernaculam traducta linguam legent, ſuperſedebo: verbo, vel miſſis litteris hujus dubii curioſis, reſponſurus.

Cum hæc ſcripſiſſem, manumque de tabula, hac veluti promulſide deſcriptionis harum aquarum contentus; ſubduxiſſem, tantum in me juris habuerunt, Nobilium quorundam, & Jureperitorum, vel preces, vel juſſa, ut huic etiam quæſtioni pro inſtituti mei ratione, hoc eſt quam breviſſime, reſpondendum judicarim. Dico itaque Frambeſarium, quæ ejus vel eruditio, vel candor, veritati litaſſe, cum conſtet pleroſque, cum multa Spadani fontis ſiccarunt cymbia, tardiores ad venerem reddi, quamquam cum ei indulgent, ſolidiorem magiſque maſculum experiantur. Nihilominus exteros quos dixi, (qui me valde; hæc ut ſcriberem rogarunt) hoc malo quod ipſi graviſſimum putabant, ut revera eſt, cum convulſioni affine ſit, ideoque citatis equis patriam repetebant, tentatos, ſive penis non voluntariam erectionem paſſos: Vel quia aquæ Spadanæ majoribus

vitris

vitris ingeſtæ, à vegeto illorum calore concalfactæ, per colem exituræ, ſemen quod forte acrius in ipſis erat, ſecum rapiebant; Vel quia hi fontes pituitam, materiamque flatulentam, qua ſcatebant (nec enim corpora purgarant) per urinam educebant, quæ calefacta rarefiebat, partimque in flatum ſpiritumque ſolvebatur, quoad urinarios ductus in magna copia, & vi quadam ſolito majore, ac ſine ordine, perveniente, turgere arterias vicinas, nervoſque proximos (& eſt penis omnino nerveus) diſtendi in proclivi eſt, ac ita tentiginem, quam hic libenter cum priapiſmo confundo, cum de patientium voluntate, qua ſola hæc Galenus diſcriminat, mihi non conſtet, promoveri. Hoc eſt quod Galenus 14. meth. libro tertio de ſymptom. cauſſis: & 9. de comp. med. ſec. locos, dicit: hoc malum ex humoribus viſcoſis & craſſis, moderato calore in halitum vel flatum ſolutis, naſci. Certo enim ſcio eos nec Gonorrhœa, quæ fere hoc malum, ut corpus umbram ſecum trahit, laboraſſe: nec penis ulcus, cui acria cum apponuntur, calore ſuo tenſionem hanc promovent, paſſos: cum ſani, valenteſque omnibus viderentur. Accedit

quod dum equitando huc veniunt, atque adeo equis ad fontem feruntur, lumbi incaleſcunt, quibus calefactis arterias calidiores reddi, earumque ora magis patere, iiſque patentibus extendi & tumere penem ſcribit Galenus. Cujus ratio reddi poteſt, quod tunc caliditas in illorum pene, & naturalis, & adſcititia, materiam crudam, & in flatum pronam, & attrahit, & attractam rarefaciendo extendit. Demum cibis utebantur calidioribus, multoque ſe vino rigabant, hinc materia ab aquis Spadanis citius ſolito expulſa, in ſpiritumque reſoluta, arterias in pudendum tendentes aperuit ac dilatavit, unde tumorem tentiginemque, ſeu malum, cui Hortorum præſidis falx tenſa nomen dedit, gigni neceſſe fuit, ut taceam cantus, tripudia, narrationes, aliaſque illecebras, quæ otioſis & talia quærentibus, nuſquam deſunt, aliquam etiam occaſionem dare potuiſſe. καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

Quæſtio decima, an aqua Spadana vel aliæ acidæ, cibum in prandio cœnave capientibus ſalubriter vino miſceatur? Jam olim vel Heroum temporibus verita vetuſtas, ne vino meraco quod avide, & diductis hauriebant rictibus,

ctibus, calorem nativum oppreſſum extinctumque irent, novum non erat vino aquam miſcere. Hæc cauſa fuit, cur Poetæ Bacchum è flammis (hoc eſt à rapidô ſolis æſtu) natum; vel certe flammeæ matri exſectum, à nymphis educatum fingant, aqua diluendum vinum hoc myſterio innuentes. Huic fini Choaſpis fluminis aquam circumferre ſolitos Perſarum Reges, ſcribit Hærodotus. Melampum autem, ne præcordia vino incaleſcerent, caputque tranſmiſſis vaporibus carebaria tentarent, aut vice verſa; ne aquæ, ſi ſolæ biberentur, frigus interioribus viſceribus damno eſſet, primum aquas vino æquali miſcuiſſe pondere, ſcribit Athenæus ſecundo dipnoſophiſticorum: Quod tamen Staphylo Sitheni filio ipſe tribuit; Græcos autem duos vini cyathos, ad quinos aquæ: vel unum ad tres miſcere conſueviſſe. Heſiodus quoque feſtis diebus, tres aquæ partes, quartæ vini ad hilaritatem miſcere jubet. Hoc ſæculo ingenioſa ſitis commenta eſt, acidos fontes ad vini temperiem accerſere; Quod nulla ratione mihi probari jam antea Spadacrenes capite quarto decimo, adſerui. Numquam ſatis dici quod numquam ſatis

diſcitur, monuit ſapiens; quæ cauſa eſt cur cùm eo capite etiam perſuaſis nondum perſuaſerim· ne græcari porro pergerent, atque in Medicos inciderim qui magnatibus ſuaderent, ut meis neglectis rationibus ſemel cœptæ conſuetudini inſiſterent, acidaſque aquas porro poculis miſcerent, cur iterato eandem hic quæſtionem propoſuerim. Cui ut ingenue reſpondeam. Dico aliud eſſe valetudini, aliud voluptati vacare: Sic aquam nivis, & olim à Nerone Biberio docti, & hoc ævo vinum refrigerare ſolent Itali; illique uſui foveas nive plenas paleis obductas habent: Si voluptati lenocineris, recte, quid enim ad Sirii æſtuantis furores cohibendos algidius? Sin ſanitati vaces, peſſime; multis enim periculis gratiſſimum hunc palato potum obnoxium eſſe, non ſemel vociferatur Galenus. Aurem mihi velli, & moneri ſentio, multos ſe cauſarios ſeneſque edentatos, dubiæque admodum valetudinis viros noviſſe, qui acidas aquas quot æſtatibus potioni innoxie miſcuerint, vegetam tamen ac viridem ſenectam in multos annos produxerint. Si exemplis quando rationi nullus locus, certandum: longe plures quibus ea, potatio, vel potionis mixtio,

damno

damno fuit reperire eſt, qui longa die hujus mixtionis uſu, ſenſim, nec advertentes ea congeſſerunt incommoda, quibus nec proba victus ratione, nec Medicis præſidiis ſero ſapientes occurrere potuerunt. Ut enim hæ aquæ mane ſumptæ, & qualitatibus ſuis incidunt, attenuant, abſtergunt, & quod caput eſt quantitate ſeu mole excretionem ſui promovent, totamque viſcerum ſaburram, ceu peniculo everrunt: Ita cum ſuper menſam bibuntur, nec quantitate cum exigua, ſit premunt, nec qualitatis ſat eſt, ut quod mane efficiunt, præſtent. Unde eas vel corrumpi, ac in pravum ſuccum verti neceſſe eſt; aut certe toti chylo cui accurate permiſcentur, ipſique ſanguini qui inde fit, mineralium qualitatum impreſſionem relinquere, quo fit, ut vel ſubito viſcera inflamment, febremque accerſant, aut dyſenteriam pariant, aut certe urinarios meatus, ad quos indigeſtum vehunt chylum, obſtruant; ſicque calculum qui nondum aderat generent, vel genitum augeant. Aut ſi, quod aliquando accidit, noxam differant, eo majorem ruinam, & die in ea quæ dixi mala erupturam, accerſant. Hoc eſt quod vult Hippocrates in libro de aëre, locis & aquis.

aquis. *Calidæ*, inquit, *aquæ* (idem judicium de frigidis, eoque magis quod frigus aſtringat, calor autem laxet) *ubi ferrum naſcitur aut æs, aut argentum, aut aurum, aut ſulfur, aut bitumen, aut nitrum, omnes difficulter minguntur, & ad alvi egeſtionem contrariæ ſunt.* Hippocratis quoque fidiſſimus interpres Galenus, libro primo de ſanit. tuenda, & 10. de fac. ſimpl. cap. 5. abſtinendum ſuadet ab aquis, *quæ turbidæ viſui apparent, quæ male olentes olfactum lædunt, & quæ ſalſæ guſtui minus placent: denique in quibus qualitas aliqua guſtu annotari poteſt, ut adſtrictio, acerbitas, aciditas, acrimonia, amaritudo, nitroſitas, vel etiam dulcedo.* Plinius etiam aquæ nullam qualitatem eſſe debere eleganter ſignificat, cum ait: *Aquam ſalubrem aeri quam ſimillimam eſſe oportet, quippe ſincerus aër, nec viſui, nec olfactui, nec guſtatui ullas qualitates offert*. Quæ omnia, ut ſi de medica ſeu matutina potatione accipias, falſiſſimum eſſe experientia convincit, ita ſi de alimentitia, aut de ea quæ inter cœnandum, & prandendum fit, intelligas, verum eſſe comperies, nec aliam divini ſenis, ejuſque interpretum mentem, quicquid eſt litteratorum Aſclepiadarum, confirmatu-

maturos certo ſcio. Unum pro Colophone addam, quod vel repugnantiſſimos in meam ſententiam trahet. Cum aquarum medicatarum, plurimi veterum Græcorum, Latinorum, Arabum, meminerint: earum uſum oſtenderint, & potando, & balneando, & per embrocham, ſeu ſtillicidium applicando, cedo mihi unum qui vino miſcendum in menſa cenſuerit. Strabo lib. 5. Medicatorum Fontium Albulæ & Labanæ meminit, aliorumque in Cotylcoliis & Pithæcuſis quibus calculos comminutos, arenulaſque veſicis eductas teſtatur: Vitruvius lib. 8. cap. 3. Plinius paſſim. Aetius, Oribaſius, Galenus, & eo antiquior Scribonius Largus medicatas aquas ad veſicæ affectus in uſum vocant. Paullus ab Ægina lib. 4. cap. 1. Elephantiacis; Alexander Trallianus, & Avicenna colicis aluminoſas aquas præſcribunt ut pharmacum, ſed cum ad potum ordinarium, ſeu alimentitium ventum eſt, altum ubique de aquis acidis ſilentium. Putatis ne eos quorum tanta fuit ſolertia, ut nihil ignoraverint; is animi candor, ut eorum quæ ſcirent nihil nos celaverint, tantam rem tacituros fuiſſe, ſi inde utilitatis quid ſanitati noſtræ, naſci poſſe

ſperaſſent? Non prohibuerunt, inquies. Quî poterant rem ſuo ſæculo inauditam & inuſitatam vetare; niſi forte Lycurgo minus ſapuerunt, qui Laconibus ſuis adulterium ad illam diem ipſis nec nomine notum non prohibuit, ne prohibendo, cum in vetita proni ruamus, ipſos docuiſſe videretur. *Hoc ergo trabali clavo figatur in Aſclepii Lyceo decretum: Fontes medicatos nemo indemnis in prandio cœnove potui miſceto: qui aliter faxit, Hygieæ violatæ pœnas dato, Medeæque, quando Iaſoni auſcultare noluit, curandus vel cruciandus traditor.* Acidas non miſcendas potui in prandio, fuſe docet Baccius 2. de Thermis & Mockius pag. 228. quos conſulat qui volet.

Quæſtio undecima, an nimio rubori faciei, tuberoſiſque, & vultuoſis bibonibus, aquæ Spadanæ utibiles ſint? Hæc quot annis ſæpius mihi in Spa propoſita quæſtio eſt, nuperque admodum è Batavia nobilis quidam per litteras conſilium ſciſcitatus eſt, utrum certam ſibi ab his aquis affectus hujus polliceri curationem poſſet? Reſpondeo cum tubera illa ſive puſtulæ ut plurimum ab hepatis calore immoderato pendeant; hæ autem aquæ hepar inſignite calfaciant, ut patet in hydrodi-

cis,

cis, cachecticiſque, & menſtruorum retentione laborantibus, quorum hepar frigere in confeſſo eſt, eoque ab his aquis concalfacto plurimos curari quot æſtatibus vidimus; certum eſt, ſi diu quis has aquas biberit, rubicundiorem & tuberioſiori quam in Spa venerit vultu, abiturum; uti multis accidiſſe ſancte affirmare poſſum, qui me reluctante, has aquas ſeſquimenſe biberunt. Cæterum quod valde obſervabile, cum tuberones iſti bibaculi ut plurimum, imo fere ſemper à ſanguinis aduſtione, hepatis inſignem aliquando, alias minorem, meſeraicarum, ipſiuſque hepatis obſtructionem contrahant; ad decem præter propter dies, tuto acidos fontes potabunt, ut nimirum obſtructione aperientium horum fontium uſu ablata, frigidorum auxilio, quæ inceptam prius hepatis obſtructionem auxiſſent, hepar ad temperiem revocent; ſicque fomite extincto, ac ablata cauſa, à novo rubore tuberibuſque ſibi caveant: præſentem autem, quam horrent turpitudinem lacte virginali, ut loquuntur Chymiſtæ, aut alio medicamento ex ſale ammonio, & ſulphure tartaroque concinnato, expugnent, tubera auferant, lævigatamque

faciem.

faciem rubore inviſo liberent. Hac de re plura in Obſervationibus meis Medicis, ante quinquennium editis.

Ne quis hoc ſcripto imponi ſibi queratur, ſequentia accurate præcepta legat.

PRIMUM PRÆCEPTUM.

CUi ſtomachi œconomia omnino fracta eſt: qui aquas, vel nativo, vel adſcititio per medicamina calore, calefacere non poteſt: cui vitales partes pœne ſopitæ ſunt: qui à longo tempore anhelantem creberrimo ſpiritu vix ducit animam: cui pulmonis Hydrops thoracem diſtendit, anhelitumque præcluſit: qui multum aquæ (de adultis loquor,) puta octoginta plus minus, non fert uncias: Spadanum fontem, niſi in Spa ſepeliri, vel ægrior quam eo venit diſcedere cogitat, ne accedito.

SECUNDUM PRÆCEPTUM.

QUi in Spa invocato Dei numine, conſultoque Medico venerint, curis domi relictis, defæcatoque animo, uni ſanitati intenti, multo mane, poſt ortum

ortum tamen Solem, cum corpus per omnes meatus, à ſordibus depuraverint, aquæ quam poſſunt plurimum, dum non gravetur ventriculus, potanto: potas vel per urinam, vel per anum emittunto; emiſſis magna parte aquis, prandento; à prandio luſu, ambulatione vel fabulis ſomnum fuganto, parce cœnanto, mature ab ambulatione poſt cænam redeuntes, cubitum eunto: hancque vitæ normam dum abitum ſuaſerit Medicus, tenento.

Ita faxit Fons Fontium Deus.

Qui niſi te adjurit, vireſque afflaverit undis,
Nil te fons Spadæ, nil Siloe ipſa juvet.

F I N I S.

HENRICI AB HEERS

TERATODIA.

Vixi Poëſi Pupus Idoneus
Et verſifeci non ſine adorea ;
Tot ſomniorum, fabularum
Myriadas didici, tot auxi
Parnaſſicarum. Somnia, fabulæ
Valete. Vobis & mihi jam nihil :
Et quicquid eſt ineptiarum ;
Hac poſitum reſecro papyro.
HENRICE, *vitæ Luſtra peregimus*
Bis ſena, & ultra. Momine viximus
Tamen nec uno. Quo tot Anni?
Tot periere Dies ? tot horæ ?
Quod non videndum, lumine combibis,
Et irretorto. Percipis auribus
Non audienda : at aure digna
Das celeri rapienda vento.
Tacenda faris : fanda ſiles. Legis
Vix digna lectu : Digna, oculis negas :

Non

Non pes, manus, non ulla membra
Officii meminere juſſi.
Quæſiſti honores: munia, literas,
Pecuniarum te tenuit ſitis:
Et ſorte fortean invidenda
Hæc dederunt tibi cuncta Divi.
Aſt his ſaturne es? quin magis eſuris
Seroque ſenſu percipis; Omnibus
Inaniis inaniores,
Quiſquilias tibi quæſiiſſe.
Quid ſero? non eſt, ſat cito ſi benè.
Jam vive cælo quod ſupereſt. Diu
Vives Deo vivendo. Sæclum eſt
Vel media pia vita lucis.

I. N-

INDEX

Rerum præcipui momenti in Spadacrene.

A.

ABortum præcavéntia. 147
Aceſcentiæ rerum cauſſæ duæ veteribus. 54. *neutram aquis aciditatem conciliare.* 55
Acetum ex vino per putredinem fieri. 54
Aceti vel omphacii uſus in ignavia ventriculi ex vitio lienis. 72
Acidi fontes non earundem omnes virium. 46
Acidorum circa æſtimationem & uſum fontium errores variorum notati. 2.3
Acidorum fontium contenta quomodo Medici ſcrutentur. 25
Acidis præmittenda remedia, quibus earum vis diuretica adjuvatur, ut facilius corpus permeent. 101. & ſeqq.
Aciditate ob pluvium cœlum amiſſa, emendari aquæ quomodo poſſint. 139
Acorem ſuum unde habeant fontes medicati. 54. 55

Alvi pigræ cauſa. 138

Alvum domi duris cur aquæ hæ laxent, aliis vero adſtringant, quibus laxa fuit domi. 138

Alumen quid? 19. *quomodo, ſecundum Dioſcoridem, excalfaciendi & ſimul ſtringendi vim habere poſſit.* 36

Aluminis vis medica. 35

Aluminoſa aquæ vis. 36

Ambulatio Spadanam bibentibus inprimis neceſſaria. 112. *cur.* 113.

Ampelitidem veterum terram, eſſe carbones Leodienſes. 31

Aniſi granum integrum à quodam emiſtum. 129

Antecœnanam acidæ potationem paucis profuiſſe. 133

Apozemata ne ventrem in hydropicam molem attollant, qua cautione ſumenda. 93

Arduenna cur auro gignendo inepta. 42

Arenis undique confertiſſimæ duæ veſicæ ſex latos digitos longæ à religioſo quodam emiſtæ. 79

Arenoſi & calculoſi quo remedio juventur. 106

Argentum vivum ad lumbricos quomodo tutò etiam à puerulis ſumi poſſit. 28

Ariſtotelis de origine fontium fluminumque opinio. 6

Arthe-

Arthriticis niſi purgatiſſimo ſint corpore, aquas medicatas fluxus ciendo nocere. 87
Aſphaltite lacu hominem etiam ligatum non mergi, & cur? 52
Aqua è venis quibus medicamentis educenda. 140. *ex enteſtinis item.* ibid.
Aqua, Columellæ unde dicta? 39
Aqua Heurnii ad calculum. 106
Aquæ utilitas. 39. *Catarrhalis deſcriptio.* 103
Aqua marina cur vaſtiſſima ſuſtineat pondera. 52
Aquæ Spadanæ quibus in ſpecie affectibus debellandis utibiles. 73. *quibus qualitatibus afficiant bibentes.* 65. *quid commodi ipſis afferant.* 66. *aliis remediis multam præſtant.* 68. *cur quibuſdam malè ceſſerint.* 91. *quo anni tempore optimæ.* 109. 110. *an conveniant pueris?* 143. *an tutæ prægnantibus?* 144
Aquæ ſalſæ quid præſtent. 33. *medicatæ ex quibus rebus ſeu mineris qualitatem ſuam contrahant.* 16. *cur eædem numero multos admodumque inter ſe pugnantes expugnent morbos.* 17
Aquarum magnam vim in ſubterraneis ſpecubus latere. 4. *eæ unde?* 5. *medicatarum indolem experientiam docere.* 3. *Spadanarum utilitates ac vires quaſi*

ſyllabo comprehenſæ. 88

Aquarum levitas quomodo exploranda. 51. 52.

Aquas Spadanas in eodem diverſiſque ; corporibus tam calidos quam frigidos affectus percurare. 69

Aquas, teſte Ariſtot. naturam eorum per quæ tranſeunt, induere. 58

Aurum aquis vel juſculis ægrorum injectum, ut vulgo fit, nihil illis virium dare. 59

Auri pater Sol. 42

B.

Bibendæ aquæ Spadanæ conditiones. 91 *tempus.* 108. *modus.* 112. *quantitas* 114. *celeritas.* 119

Bibentes parum hujus aquæ, nihil juvari, imo multum rebus ſuis officere. 114

Bibituri aquas Spadanas quibus medicamentis prius purgare corpus debeant. 94. & ſeqq. *quoties per intervalla ?* 100

Bili expurgandæ remedia. 96

Bitumen Spadanis aquis ineſſe unde liqueat. 30

Bituminis ſeu Succini liquidi efficacia. 31

Bobelini *Spadanis vocati qui ?* 3

Boli ſeu rubricæ vires. 37

Breſilium alumine fit coloratius. 27

Butyrum antimonii quid ? 56

C *Ca-*

C.

Cacochymis vomitionem ſaluberrimam eſſe. 118
Calculum veſicæ an curare poſſit aqua Spadana? 76
Calculi ideam patientibus ſæpe exhibet pituita nondum in calculum coalita. 77
Calculo multos laborare cutaneo ſeu mucoſo involucro latente. 77
Calculos ſedecim piſis recentibus majores quidam Italus in penis cole geſtabat, quos uſu Spadanæ eminxit. 78
Calculis duriſſimis à religioſo quodam excretis plures capſulæ plenæ. 78
Catarrhi omnium morborum origo. 75
Catarrhoſi quid ante uſum acidarum præcipere debeant? 102
Cerebro humido & catarrhis obnoxio remedia idonea quæ? 102
Chalcantum ſeu vitriolum quomodo aquis ſe aut acorem ſuum communicet. 57. 59. *quomodo Spadanis?* 60
Chalcanto præcipuè, Spadanorum fontium aciditatem deberi. 57. *unde id conſtet.* 62
Chalcantoſæ aquæ. 30
Chalybeatæ aquæ virtus. 23
Cibi acidam bibentibus convenientes. 122. *inconvenientes.* 127

Cibo-

ïborum diverſitas cur vitanda. 127. 128
Cœnæ tempus opportunum. 131
Colcotharis in ſiſtendo ſanguine uſus. 24
Condimenta ciborum improbantur. 122
Cotyla pondus. 117

D.

DEmocritæo in puteo multa latere abdita. 65.70
Diæta acidas bibentium. 121
Diaretica omnia longe à paſtu ſumenda. 111

E.

EFfectus contrarios Spadanis aquis edi. 69
Elaterii uſus. 141
Electuaria ingrati ſaporis expertia quæ? 99
Emaciatos & exſuccos quoſdam Spadanorum uſu fontium carnoſos & bene habitos evaſiſſe, & cur? 66
Exercitium ante paſtum utile. 131. ejus modus. ibid. 132. poſt paſtum quale inſtituendum. ibid. 133

F.

FAciei nimio rubori, tuberoſiſque an utiles ſint aquæ Spadanæ. 156
Fæces cur omnibus bibentibus has aquas nigreſcant? 135
Febre cur quidam correpti dum biberent aquas Spadanas. 91.92
Febres unde naſcantur? 91
Febrium ignem quid exſtinguat? 19

Ferrati

Ferrati fontes quibus conducant? 21
Ferrum calidiſne an frigidorum cenſui adſcribendum? 22
Ferri natura ac proprietates. 21
Fontis in Alpibus Engſtlius mira natura. 14. *Spadani propria ac ſingularis facultas quæ?* 81
Fontes unde præcipuè aceſcant? 28. *cur hic ſubitò naſcantur, alibi verò celerrime inareſcant.* 7. *medicati qua proportione ſubterraneis miſceantur, neſcitur.* 65
Fontium origo altius eruta. 4. *medicatorum differentiæ unde?* 15. *quorundam ſtrepitus & ejus cauſa.* 11
Fontibus quibuſdam aquæ non perennes ſed ſparſæ. 12. *ejus rei cauſa.* 13
Fontes quoſdam ebullire inſtar aquæ ad ignem efferveſcentis. 11. *alios æſtum marino ſimilem pati.* 12. *quoſdam bibentes inebriare.* 13. *quoſdam in lapidem vertere injecta.* 9
Foſſilium quænam caleant, quamque ob id vim habeant? 18. *quæ frigida?* 21

G.

Geronſter fons ſulphureus an tuto potari poſſit? 141. *ſitus & contenta.* 42. 61. *vis.* 43. 49.
Gilla Chymicorum quid, & ejus noxa. 29
Gonorrhœæ ac fluori muliebri præſcriptum. 107

Guaja-

Guajacina vacantes diæta, niſi octavo vel decimo die repurgentur, graviſſima incurrere ſymptomata. 100

H.

Helmontius inſcitiæ notatus. 54

Hémina quantum capiat. 117

Hora diei qua acidas bibere conveniat. 111. 112.

Hydropis tumorem cur quidam incurrerint qui Spadanas bibebant aquas. 91. 92.

Hydropem quoſdam ſyrupis nimis incidendentibus incurriſſe : id quomodo præcavendum. 93

Hydrope qui toto bimeſtri laborarunt, nunquam perfecte ſanari. 76

I.

Ictero viſcerumque obſtructionibus remedia. 105

Ictericorum ſordes quales? 136

Idiotarum de acidulis pravum judicium. 46.

L.

Leporinæ carnis præſtantia aſſeritur. 123.

Levitas aquæ unde judicanda? 52

Lienis vitio ventriculus ignavius appetens, quomodo excitandus. 72

Lienum obſtructionibus aperiendis ferrum & chalybs in primis efficacia. 21. 23
Ligna & res aliæ quibus aquis in ſaxum vertantur. 10

M.

Mammam muliebrem vi aquæ in ſaxum evaſiſſe. 10
Medentium ſpem aliena culpa ſæpius eludi. 88
Medicus, artifex ſenſatus. 64
Melancholicis affectibus laborantes quomodo purgari poſſint. 97
Menſes bibendis aquis aptiores qui? 111
Menſium diuturna ſuppreſſio quanti mali cauſa mulieri cuidam extiterit. 85
Mentha cur fœminis abſtinendum? 126
Mercurius crudus quantum differat, à ſublimato. 142
Metalla vim ſpecificam ad morbum Gallicum debellandum habere. 80
Minera quid? 16
Mineræ quomodo à ſe invicem diſcernantur, ac dijudicentur. 26
Mineras diverſis temporibus diverſas ſe promere in fontibus. 45
Moram in Spa eſſe neceſſariam iis qui à diuturnis & pertinacibus malis liberari cupiunt. 82

Mor-

Morborum catalogus, quibus aqua Spadana medetur. 73. & ſeqq.

N.

NApello pingueſcens puella. 130

Nephritici judicati nec perſuaſi, quemodo convicti. 43

Nilotica aqua quod fœcundiores faciat fœminas, an, quod vult Seneca, cauſa reddi nequeat? 87

Nitrum veterum à noſtrate ſale nitro, qualitate multum differre. 18

Nitroſæ aquæ qualitas ac vis. 20

Nocturna aura hoſpitiis prævenienda. 134

Notitia ſui corporis cuique neceſſaria. 115

O.

OCulorum rubori quid conducat. 104

Olei vitrioli vel ſulphuris uſus. 139

P.

PErdicum eſu ſolo Gallicum morbum curatum. 126

Peti fumus ad acidas quatenus probetur. 120

Pharmaca majori doſi nobis præſcribi quam aliis populis alibi, cur? 95

Philippi Macedonis curioſitas in ſubterraneis perſcrutandis. 4

Pilularum in affectu melancholico rarior uſus, & cur? 98

Pituitoſis affectibus apta pharmaca. 95

Pleuritis ſanguinea qua cautione venæ ſectionem admittat. 71
Pluviam unde præſagiant mulieres è Savenirio aquam haurientes? 137
Pluviæ quomodo fiant. 7
Podagræ cauſa materialis. 88
Podagricis qua tenus aqua Spadana prodeſſe poſſit. 88
Potatio tota hujus aquæ ſemihora abſolvenda. 119
Potis aquis quid agendum? 120
Pouhontii etymon. 40. *ſitus ac contenta.* 41. *vis.* 49. 50
Prandii tempus opportunum quod? 130
Priapiſmo ex potu Spadanæ cur tententur quidam? 148
Purgationes quo tempore perdifficiles. 111. *Purgationem formulæ bibituris Spadanam præſcriptæ.* 94. & ſeqq. *vices.* 100
Purgatoriæ tres vel quatuor potiones leviores uni validæ præferendæ, cur? 99

Q.

Qualitates rerum quomodo explorent Medici. 64
Qualitatum diſtinctio in Scholis trita, quæ? 64
Quantitas bibendæ aquæ Spadanæ. 114

R.

Remberti Dodonæi de fontibus Spadanis judicium.

Reme-

Remedia ſelecta quibus acidarum uſus optatus promoveri poteſt. 101
Renum ulcere affectus remedium. 107
Roborantium diverſa quantitate ægris ſaniſque opus. 71
Rubrica, mater ferri. 63

S.

SAl prunellæ Chymiſtarum quid? 18
Salis natura ac vis. 32
Salis nitri frigus unde evincatur. 18. 19
Sanguinis ſiſtendi medium. [illegible]4
Savenirii etymo. ac ſitus 40. *contenta.* 41 *qualitas ac vis.* 47. *ſpiritus an tranſlatione alio imminuentur.* 48
Savenirius alius noviter exortus. 53
Seſſio in humo nuda quid noceat. 134
Singultuoſis quid ante potum acidarum conducat. 104
Sitis quid? 64
Somnus meridianus quantum noceat. 132
Spadæ incolæ cæteris hominibus facile annoſiores. 39. *à quibus morbis fere immunes ſint?* 40. 90. *eoſdem inter paſtum acidas innoxie bibere, cur?* 130
Spadani omnes quatuor fontes quid commune habeant. 62. *quomodo diſcrepent inter ſe.* 46

Spadanorum fontium laus. 39. *ſingularia contenta.* 28. *quinam cæteris præſtent.* 40. 47
Spadanis fontibus ſi chalcantum miſceatur, cur non caleant, linguamque acrimonia inſignita feriant. 61
Spadanos fontes inſuetos inebriare. 14. *actu frigidos eſſe ac humidos, potentia calidos & ſiccos.* 64
Spadanarum aquarum vires & effectus. 66. 67
Succinum liquidum. 30. *id in aquis Spadanis quomodo deprehendatur.* 63
Sudores ſerum per urinam exiturum alio divertere. 120
Sulphuris natura ac vis. 34
Sulphureæ aquæ vis. 141
Sulphurearum aquarum cur quædam frigeant aliæ tepeant, vel etiam ferveant? 62
Swalbacenſes aquas Spadanis nihilo cedere. 10 *injecta in ſaxum mutare.* ibid.
Syrupis nimis incidentibus quoſdam hydropem incurriſſe, & cur? 93

T.

TAbaci fumus ad has aquas quatenus probetur. 120
Tabella quæ inter bibendum capienda. 113
Tempus bibendi aquas Spadanas. 108
Theriacæ deſcriptiones vulgares quales. 119
Tonnelet fontis etymon. 42. *ſitus & contenta.* 43

vis.

vis. 50. *frigus.* 20.
Tonneletius minor noviter exortus, qualis. 53
Trochiſcorum uſus cur ante apozemata & ſyrupos neceſſarius. 93
Tungrorum fons ferrugineus etiam Plinio celebratus. 2

V.

Valetudo quibus rebus ſuſtentetur? 115
Venæ ſectione in plenitude ſanguinea quando abſtinendum. 71
Venena ſublimando magis venenari. 142
Ventriculus implendus, non gravandus. 116. *ante potum quomodo muniendus.* 112
Ventriculi intemperiei frigidæ aquam chalybeatam mederi. 23
Vermis magnitudine & figura ſtupendus uſu Spadanæ à muliere quadam excluſus. 85
Vermes à quodam infra ſupraque egeſti, etiam micti. 86
Verminoſis quid proſit? 107
Vertiginoſis à paralyſi & tremore ſibi metuentibus, remedium. 103
Veſicæ duæ ſex latos digitos longæ, minimo digito craſſiores, arenis confertiſſimæ à quodam emictæ. 79
Vinum aqua miſcere cur ſoliti veteres. 151. *an aqua acida miſcendum?* 128. 150. *Rhenanum diureticum eſſe.* 129

Viris cujuſque à Medicis in primis attendendi, & pro illarum conſtantia medicamenta diſpenſanda. 71

Vitriolum quomodo & in quibus affectibus utiliter datum. 30. *ejus ſpecies quatuor Dioſcoridi.* 16. *virtus ac proprietas.* 28. 29

Vitrioli & ſulphuris magna fodina prope Franchimontium. 62

Vitriolatarum aquarum vis. 30

Vomitu moleſto vexati quomodo juventur. 105

Vomitio cui ſalubris. 118

FINIS.

HENR. AB HEERS

Tungr. Med. Doct.

OBSERVATIONES MEDICÆ,

Oppido raræ in

SPA ET LEODII;

Animadverſæ, cum Medicamentis aliquot ſe-lectis, & ut volunt ſecretis.

LUGDUN. BATAVOR.

Apud PETRUM VANDER AA,

Bibliopolam, M.DC.LXXXV.

Digitized by Google

AUCTOR.

Ipſe mihi plaudo, nam ſtulta è face popelli,
Hic ſcripſiſſe feret me bene, & ille male.

OBSERVATIONUM ORDO.

OBSERVATIO I.

EX inepto Spadanarum potu morbi, vel mortes, ex apto curæ quædam fælices, poſt ſcriptam Spadacrenem, & depletum Helmontii Philoſophi per ignem, ſupplementum, obſervatæ. Pag, 1

OBSERVATIO II.

Circa Somnum & Inſomnia. 26

OBSERVATIO III.

Catalepticorum, eique affini affectu correptorum, caus rari. 38

OESERVATIO IV.

Circa viſum & oculos. 45

OBSERVATIO V.

Errores aliquot Medicorum in febribus maxime. 52

OBSERVATIO VI.

Ex affectibus qui videbantur leves vel nulli, imaginationis vitio mortui. 71

OBSERVATIO VII.

Circa penem rara Symptomata. 78

OBSERVATIO VIII.
Puella novennis à veneficio percurata. 85
OBSERVATIO IX.
Sexagenarius ſumptis pro aphrodiſiaſtico cantharidibus, prope funeratus, ſanatur. 95
OBSERTATIO X.
Impotentiæ in Illuſtribus Iuvenibus & Viris incurabiles. 103
OBSERVATIO XI.
In corde vulneratorum Hiſtoriæ non vulgares. 114
OBSERVATIO XII.
Ex minimis ictibus aut vulneribus mortui. 119
OBSERVATIO XIII.
A philtro morbus periculoſiſſimus perſanatus. 125
OBSERVATIO XIV.
Mulierum aliquot caſus rari. 131
OBSERVATIO XV.
Uſu lactis, Leipothymiis & cholera morbo tantum non internecino correpti, ſanati. 147
OBSERVATIO XVI.
Aquam chryſulcam Iuvenis annorum XX *vice aquæ vitæ potans; extinguitur.* 151
OBSERVATIO XVII.
Vino Sopitorum mortes, morbique mirabiles. 162

OB-

OBSERVATIO XVIII.
Nimio veneris uſu tantum non exanimati, morti eripiuntur. 163

OBSERVATIO XIX.
Ebrius pro Apoplectico male quatriduo tractatus, repente Sanatur. 178

OBSERVATIO XX.
Hæmorrhagia ſurſum, deorſumque ingentiſſima curata. 182

OBSERVATIO XXI.
Ex caſu Apoplecticorum miræ curationes. 186

OBSERVATIO XXII.
Errores aliquot Chirurgici mortiferi. 191

OBSERVATIO XXIII.
Hæmorrhagiæ in Spa raræ. 205

OBSERVATIO XXIV.
Epileptici quidam caſus rari. 209

OBSERVATIO XXV.
Ex Abdominis dolore, vel vulnere, caſus rari. 215

OBSERVATIO XXVI.
Syncope rariſſima in Nobiliſſimo Juvene. 221

OBSERVATIO XXVII.
Melancholicorum caſus rari. 226

OBSERVATIO XXVIII.
Circa naſum rara Symptomata. 237

OBSERVATIO XXIX.
Idioſyncraſiæ quædam raræ. 244

HENR. AB HEERS
Med. Doct.

OBSERVATIONES MEDICÆ,

Oppido raræ in Spa & Leodii animadverſæ.

OBSERVATIO I.

Ex inepto Spadanarum potu morbi, vel mortes, ex apto cura quadam fœlices, poſt ſcriptam Spadacrenem, & depletum Helmontii Philoſophi per ignem, ſupplementum, obſervatæ.

ANNO 1622. Exconſul Leodienſis quinquagenarius, ſtudio Legum in quo excelluit, à puero exercitus, habitus & temperamenti à natura, bilioſi, ſtudiorum & vitæ ſedentariæ vitio, melancholici; flavam enim bilem, in atram co-
ctione

ctione & curis tranſire in proclivi eſt; jam quintum menſem, appetitum proſterni, corpuſque debilitari ſine ulla alia quam notare poſſet prævia mala diſpoſitione ſenſit. Credidit inconſultis Medicis, abſtinentia, qua ſola Aurelianus Cæſar ſi Vopiſco fides, pro omni pharmaco uſus eſt, ſæpiuſque ſe curavit; moderatoque exercitio refici ſe poſſe ut alias fecerat, quod cum quinta ſeptimana non ſuccederet, ſpe ſua fruſtratus accedentibns ſtomachi doloribus & tenſionibus, cum ructibus fatuis, hypochondriis tamen nondum palam tumentibus, Medicum affinem conſuluit, qui febricula correptum dicens, lene eccoproticum, flatus ſimul diſcutiens præſcripſit. Volebat & venam tundi, ſed æger non admiſit; Aquas itaque Spadanas, ipſe qui in Spa per omnem vitam nunquam niſi uno die, eoque non integro fuit, vireſque Spadanarum ignorabat, cœlo adhuc diu hyematuro ſupra omnia commendavit. Patiens iis jam dudum quotannis aſſuetus, avidiſſime illas diebus duodecim bibit, nullo ſuo bono, niſi quod ſtomachi dolores ſe remitterent, nihilominus in dies magis cum macreſceret, D D. Ogerum Spadani fontis gnarum advocat, qui acidis

cidis conſulto in aliud tempus dilatis, emulſione 4. ſem. frigidorum bis in die uti maluit toto octiduo, quo cum non multum proficeret priorem Medicum rogavit, ut cum collega conſultaret. Ille chemiæ quam Medicinæ peritior, ut ſemper alias, recuſavit, ſibi enim ſoli, unique Pharmacopæo notis utebatur formulis, vocatis ergo aliis Medicis iiſque in ſententiam Ogeri abeuntibus ad emulſionem, additis quibuſdam febrifugis reditum, unde bene ſibi habere; etſi hoc negaremus Medici, viſus eſt. Itaque revocato affine Chymico, ſemper ſibi placita loquente, byſſinaſque medicinas præſcribente, acidas reſumpſit. Sed ab iis marcor intendi, febris nihil ſe remittere, quare alternis nobis credens, iterum toto octiduo aquis valedixit: Cæterum primo Medico niſi aquas repeteret mortem certam prænuntiante, tertio, fato ipſum trahente, acidas reſumpſit totiſque quinque ſeptimanis eas continuavit, uſus inſuper balneo aquæ dulcis. Aliis Medicis, loco acidarum lac tabeſcenti proponentibus non creditum. Perrexit in uſu aquarum, vel qui Chymiſtæ plus fidebat, vel quia gratiores erant, cæterum appetitus ſe non erexit, imo cibum

bum potumque ſæpius horruit, anorexia correptus, vel quia ſenſus ſuctionis venarum perierat, vel quia ſolidæ corporis partes cacochymo ſucco fartæ, parum vel nihil trahebant. Itaque viſum fuit Lovanienſes Profeſſores per literas conſulere; Hi damnatis nobiſcum acidis, in uſu lactis ſpem totam poſuerunt, diætam analepticam præſcripſerunt cum vino rubello, quod ægro in delitiis erat, & balneis, Æger Lovanienſium ſententiam, ut ſolent omnes quorum res in pejus ituræ ſunt, ſaniora conſilia reſpuere, contempſit: in acidiſque brevi ipſum necaturis, quia non permeabant omnem fiduciam poſuit. Itaque jam enim inſtabat Menſis Majus, ad ipſum fontem quod Leodii fecerat, facere ſtatuit hortante primo Medico; Jam itineri ſe accinxerat, & ſpe certa, obducto per imaginationem toto Pouhontio ſanitatem quam ſenſurus non erat, præceperat, cum viribus ulterius iter non permittentibus, in villa amici ſubſtitit; tandemque exeunte Junio exſuccus & cadaveri quam homini ſimilior, exſpiravit, non ſine primi Medici, qui multos hoc modo acherunti tranſcripſiſſe dicebatur, & forte injuria, opprobrio

brio, mortem aluinus fluxus, pilorumque defluvium ad aliquot dies præceſſit, tumentibus etiam inſigni œdemate utroque crurum, ut tabidum & vere hecticum obiiſſe cum doctioribus cenſuerim, & ſane cauſſæ quæ etiam fortiori hecticam accerſere poterant, præceſſerant. Secundum Conſulatum ambiverat, ſuffragia multorum, certo ſibi conciliata crediderat, quibus deinde ſpem ejus eludentibus, cum Conſulatu quem certiſſimum & ipſe & plerique boni cum ipſo, tenebat, excidiſſet, totum mærori ſe dedit. Scitum eſt autem illud Eccleſiaſtici. *Spiritus triſtis exſiccat oſſa.* Ideoque hinc acidæ conducibiles non erant, *& ſeni, & pridem cachectico, & febrienti, & non permeantes.*

Theologus in Eccleſiaſtica dignitate conſtitus atque Trajecti ad Moſam Canonicorum Servatianorum equitaturæ Præpoſitus, vir doctus, Medicorum, & hominum, & ſcriptorum amantiſſimus, fere ſexaginta annos natus me invito Spadanos fontes bibere voluit. Cum multa in contrarium argumenta adferrem, adhuc enim calebat mihi cerebrum ſcriptione Spadacrenes, quam illo ipſo anno nepoti ipſius

ipſius dicatam in lucem emiſeram, neque quicquam perſuaderem, bibit magno ſuo malo, aliis profuturos fontes: Die enim quarto vaporibus nimiis in cerebrum debile raptis, apoplexiam incurrit, qua mea opera Deo juvante, diſcuſſa, in levem paralyſim incidit, à qua etiam percuratus, cum aquas illas quarum tantum damnum ſenſerat ejuraſſe ipſum crederem in fratris ſuburbanam arcem conceſſit; ubi cum me, nec conſcio, nec conſulto, acidas reſumpſiſſet, novo apoplexiæ inſultu ſecunda die potationis tentatus, priuſquam citatiſſimo tolutario equo, ad eum quem unice amabam, advolare poſſem, etſi horulæ à me ſpatio tantum abeſſet, fatis conceſſit. Non ſine prudentis & in aquarum uſu experti Medici conſilio has aquas bibant ſenes, qui vitæ ſuæ conſultum volunt. Plures enim novi, & in ipſo Spa, & alibi hoc modo ſublatos. Hoc ipſo anno puella viginti duos annos nata bradypeptica, cujus matrem monueram, ut menſibus prodeuntibus ab acidis abſtinere filiam juberet. Mater meo neglecto conſilio, ſufficienter enim manabant: mulierculis contrarium ſuadentibus credens, potare filiam menſtrualem

lem juſſit. Potis aquis ſtatim cephalea valide torta, ſurſum ſcilicet tracto ſanguine acutiſſime febriit, deliravit, lingua ſcabra & nigricante, vix loqui potuit. Tandem ſectione ſaphenarum, purgatiunculis per epicraſin repetitis, ſumptis ſuccis & aquis cataminiagogis, ab orci limine revocata, omni febre liberrima ad fontes rediit, prudentius ſcilicet potura. Tranſito menſe ſtato menſtruorum fluxu redeunte, omnino bene habuit.

Anno 1614. honeſta matrona Medici & filia, & conjunx, evocato in aulam quæ tum in Anteniacis erat marito, in Spa conceſſit ſolitas ſibi aquas, erat enim nephritica, potatura. Dederat ipſi diſcedens maritus duo pharmaca, aquis ut aliis annis fecerat præmittenda: quæ ipſa ut erat ab iis alienor, pauperibus elargita; non purgato corpore, aquas hauſit, atque omni aurora minimum centum octoginta bibebat uncias; quod ſane in tam delicato & caſtigatiſſimo ut erat ventre, multis unciis, imo dimidia parte juſtam debitamque ipſi ſuperabat quantitatem. Quia tamen renali, quem ſenſerat dolore, levabatur; avidiſſime potationi inſiſtebat ad dies quadraginta. Non diu poſt

aquas

aquas, dixit dolorem renes occupare ſolitum ad imum ventrem deſcendiſſe. cum omnia interiora recuſaret remedia, fruſtra fotu, litibuſque uſa, dies quatuordecim continua febri laboravit, quo tempore ſcilicet, (ut poſtea ſectio docuit) pus conficiebatur in apoſtemate, quod calculus duriſſimus à rene in ureteris finem delatus, quo loco in veſicam ſe exonerat excitaverat. Febre continua doloribus, pure ſcilicet jam facto ceſſantibus ipſa atrophiâ maraſmoque conſumpta 12. Maii anno 1616. tumulo illata eſt, vigeſimo quinto ætatis anno vix expleto. Sine dubio ſi vel acidis abſtinuiſſet, vel eas præparato ut juſſa erat corpore, hauſiſſet, diutius victura; Omnes enim qui ſectioni intererant Medici, omnia viſcera ſaniſſima, & longiori vitæ ſuffectura judicabant.

Quadragenarius vir proceræ ſtaturæ, valentiſſimiſque viribus per totum corpus impetigine ſeu græcorum lepra à biennio laborans, de potu acidarum Spadæ ineunte hoc Julio me conſuluit, ſuaſi à purgatione biberet decem vel ſummum duodecim dies Savenirium vel Pouhontium, exercito prius per ſemihoram corpore (quod ſane imprimis

mis neceſſarium, ut in Spadacrene ſæpe ſuaſi ſed amentibus nondum perſuaſi) ad octoginta tantum uncias. Bibit ille uncias centum quinquaginta, levari ſibi viſus, plus bibit, numerumque dierum me inſcio, duplicavit, unde aucto pruritu, & creſcente, quæ ſe remiſerat initio, ſcabie, ad me quiritans rediit, reſpondi dimiſſis aquis, quæ hepati nimium calorem afflaverant, ut futurum prædixeram, ſi diu & multum biberet. Poſt Syr. roſ. ſolut. iis uteretur quæ hepatis æſtum temperarent, ſanguiniſque ſalſedinem amolirentur ſuccum nimirum ribes, & berberorum, cum cryſtallo montano, & ſero lactis, cui argentinam, & nympheam incoqueret, tantillumque ſalis prunellæ adderet. Acetoſam, duracina ceraſa, brevique maturanda mora, & cucumeres primis menſis inferret. Hic aquas reliquit quid ei futurum ſit quod Julio nondum exeunte hæc ſcribo, neſcio; Cæterum ſpero cum alias viraginem Colonienſem ante decem annos ex eodem affectu percurarim, aliiſque leproſis meo conſilio uſis ſanitas iiſdem remediis obtigerit, etiam rem ex voto ceſſuram, ut ſcripſi Spadacrenes quæſtione ultima.

Illu-

Illuſtris Matrona quinquagenaria conſuluit me hoc anno primum Leodii, dein in Spa, an ulceri ſuo renali Spadanæ conducerent, reſpondi mundando ulceri inſignite profore, cæterum cum ulceris curatio ſit ſiccatio, ab aqua actu humida, tantam ſiccitatem ſperari non poſſe, quæ ſolidando ulceri ſufficeret, minxerat illa diu ſanguinem, excreto calculo duro & magno, dein ultra ſeſquiannum pus, cujus quavis mictione eam reddebat quantitatem, quæ dimidium juglandis putamen facile impleret. Minuta puris copia juſſi ut relicta aquæ quam bibebat abundantia caperet pilulas ulceri ſiccando aptas, tantillumque aquæ aſſumeret quæ vehiculo pilulis ad renes ducendis ſufficeret, hoc eſt uncias viginti vel triginta. Hæ pilulæ recipiebant olibanum, maſtichem, gummi arabicum & tragacanti, radicem chinæ, ambram chryſeam, corallum & hæmatitem quæ cum vellem excipi ſyrupo de althæa Fernelii, illa prætulit terebenthinam venetam. Dixi terebenthinam venetam, quæ ſic apud nos audit, non eſſe terebinthi, ſed laricis, vel abiegnam reſinam, quæ cum cacoſtomachos ſit, mihi non probatur. Si ex Hollandia ſua, vel vicina Britannia

Cy-

Cypriam terebinthinam petere velit, illam ſuo malo aptiorem eſſe. Cum dies decem his pilis uſa eſſet, vidit pus manifeſte minui atque ulceri medicinam fieri, cæterum de ſtomachi debilitate, retentioneque fæcum alvinarum conqueſta eſt. Præſcripſi pulpam uvarum Corinthiacarum cum vino, cui Senæ folia immacerata, extractam, inde fœliciter ſoluta alvus; Cæterum eodem momento ſanguineas excrevit urinas; Invitæ ſequentibus diebus multis precibus ingeſſi clyſterem molliſſimum, qui præter juſculum cui incoxerat maluam, mercurialem, betam, parietariam, capiebat elect. Catholici unciam, neque quicquam amplius, & ille ſanguineam, etſi ipſamet illum paraſſet, movit urinam, binaſque lipothymias, flatibus quibus turget, ſuperiora petentibus, ipſi adduxit. Idem illi contigit ex pila ſaccarea quam vocant virdunenſem. Itaque accitis aliis in conſilium medicis, ad pulpam corinthicarum reditum, ſuaſumque ut Spadanas parciſſime hoc eſt ad triginta tantum uncias ſumeret. Illa aquarum harum avidiſſima, ut quæ cum ante annos tredecim meo conſilio illas bibiſſet, quæ diu antea ſterilis vixerat, ab

illarum uſu filium enixa eſt, qui etiam hoc anno cum matre aquas bibit fœliciſſime; rogavit liceret ſibi ad aliquot dies has aquas continuare; cum manifeſtiſſime ventriculo iis potis robur redire ſentiat: annuimus, atque ut confirmato ventriculo ad ſuos rediret, ſuaſimus. Hoc valde obſervabile, quoties in cubili, modo in lecto modo ad focum, Geronſterium ſumebat ad ſexaginta uncias, duabus poſt horis, nullo conatu, ſputanti quam vomenti ſimilior, tantam pituitæ quantitatem egerebat, ut duas argenteas pelves quatuor librarum medicarum capaces impleret; idque toto decendio continuo. Cubile ingredientes, viſas eminus pelves, albuminibus ovorum, bacillo in ſpumam agitatis, refertas indicabant; nihilo tamen ſecius multum lotii Scaphio reddebat, ut tantam tot dierum congeriem phlegmatum, merito omnes mirarentur. Multa hic mirabilis Idioſyncraſiæ portenta. Ne quidem aniſi ſemen, aut zinziber chinenſe, aut corticem nucis muſcatæ in India conditæ, aut aliud primo tantum gradu calens aſſumit, quin certo certius lotium fundat ſanguineum. Idem ab omnibus omnino clyſteribus & ſuppoſitoriis patitur,

titur. Interim à flatu quo ſtomachus & inteſtina mirùm quantum diſtenduntur, ſupra juxta atque infra ádmotis leniſſimis alviducis, tantum non internecinis & leipothymias frequentes adducentibus, doloribus torquetur. Cum rheda vehebatur, totis decem diebus quibus è Batavia Leodium advecta eſt, ne guttam vidit ſanguinis. vix paucas Leodii quieverat horas, cum lotium multo mixtum cruore ſchaphio dedit. A Geronſterio in cubili ad ignem me præſente ſæpius copioſiſſime viſcidiſſima vomuit, urina interim totis decem diebus albiſſima fluente. ab aliis tantillum moto ſtomacho, rurſus cruenta minxit. Exitum die docebimur.

Illuſtriſſima Matrona ſexagenaria, medicamenta abhorrens impuro corpori hoc anno, acidas ſat magna quantitate ingeſſerat: die decimo cholera morbo, exonerante ſe fellea veſica corripitur, à quo cryſtalli montani uſu in ſucco limonum & berberorum, unoque atque altero clyſtere cum evaſiſſet, ad acidas rediit. Cæterum liberalius eas bibens, catharrum contraxit moleſtiſſimum, multumque de ſtomachi dolore & imbecillitate queſta. Juſſi aquas relinqueret, nam & ego ejuſdem

ætatis etſi parcius biberem, labente ad utrumque brachium catharrò quod ante mihi non contigit, vix cibum ori inferre potui dum relictis aquis medicinam mihi commodam feciſſem. Matrona hæc domum reverſa, meliuſque meo conſilio purgata, aquas ex Spa delatas fœliciſſime bibit, quod Leodium ad me ineunte Auguſto perſcripſit ſeque cadaveroſam exuiſſe faciem, atque omnino ſanam.

Alii quidam ejuſdem fere ætatis, in iiſque duo Illuſtres & inter bibendum & poſt, ptyaliſmo copioſo, maximam aquæ vacuarunt partem, ita ut per alios meatus nihil obſervatu dignum excernerent, quod ad hanc diem mihi non viſum. Multi alii ſeneſcentes, & flatibus obnoxii, magno ſuo bono mature aquis valedixerunt, cum ſe actuali earum frigore plus damni percipere ſentirent, quam à calore, qui quia in potentia remotiore, ſerius opitulaturus, opis exſpectare poſſent.

Vigeſimus quintus agitur annus, ex quo quotannis aliquot vel hebdomadas vel menſes Spadæ vixi. nullus interim abiit, quin Bobelinorum aliqui tumulo illati ſint. Hoc ipſo anno, vigeſima prima Julii, tumulavimus Paſtorem

ſtorem Montenaken Hydrope ſublatum, quia tardius in Spa venerat, quod & aliis annis ſæpe evenit, qui à me ſæpius moniti, ut ab aquis non profuturis diſcederent, vel nunquam, vel ſegnius parebant; Uno poſt menſe Illuſtris Baronis uxor ibidem fatis conceſſit, cujus hiſtoriam adtexere viſum eſt. Quinquaginti quatuor annos nata: paralyſim olim paſſa, nunc nephritica Medicorum in acidorum uſu inexpertorum, conſilio bibit, dies quatuordecim aquas, quo etiam mortua eſt, ex febre acuta inepto aquarum uſu quæſita. Anatomicus in rene ſiniſtro magnum calculum bicornem invenit. alterum cornuum divulſum, in ureterem deſcenderat; unde immanis illa parte dolor. repertus etiam calculus, lobo jecoris adnatus, ovi columbini magnitudine, eique ſub finem parenchymatis appenſus, viva tamen de illo latere nihil querebatur.

Qui imbecillo ſunt capite, ac imprimis ſenes præter ebrietatem quadranariam à qua pauci ſunt immunes ex inſuetis, quidam vertiginem parum duraturam patiuntur: Aliqui iciuntur apolepſia, Aliis, ut & mihi hoc anno per ſemihoram caligant oculi, ut nihil vi-

deant, aut ut ſuffuſi, ſpectra debilibus luminibus obverſantia intuentur. Quibuſdam vel totæ manus, vel medii perfrigerantur digiti, cum manifeſto, ad mediam horam duraturo livore. Quidam arthriticis maxime doloribus obnoxii, variis catharris debiles artus percelli queruntur. Idem Odontalgicis, & dentium vel ſtupori, vel dolori, pronis familiare. Hi omnes, vel aqua catharrali, vel radice acori veri condita vel Theriaca, aut alio prophylactico à Medico præſcripto, acidarum uſui præmiſſo munire ſe debent; alioquin ſuo malo diſcent veriſſime ſcripſiſſe Galenum lib. de Sectis, non longe à fine. *Neque impune poſſe adminiſtrari remedia, cum omnia præter naturam ſint, ob idque naturales facultates infeſtent, nec poſſint adeo morboſas cauſas reſcindere, quin una cum illis aliquid etiam benignæ ſubſtantiæ rapiant.* Qui ſtomacho ſunt imbelli, ructibuſque, & borborygmis iliorum tenentur, niſi ſe præmunierint, aut vomitu aliave via aquas mature depleverint, dum à fontibus Geronſterio præcipue redeunt, palmo cordis ad unam alteramve horam premuntur, qui ſenſim pro modulo egeſtæ aquæ ſe remittit, quod & in me expertus ſum omnibus

busannis ; cum pedes à fonte illo redii, Aſcitici & Tympanici niſi perpurgato corpore, aquæ facile in ipſis permeent, cum ſtagnando putreſcant, febremque & ſitim intendant, levatoque ſurſum diaphragmate, reſpirationi liberum iter præcludant, tuſſimque mortis prænunciam accerſant ; mortem accelerant. Qui Pouhontium adeunt nullo prævio exercitio, præterquam quod ad potum nauſeant, de flatibus ventriculique tenſione fere querulis ſunt. Melius cum iis agitur, qui vel dimidium itineris Savinirii emenſi, ad illum redeunt : vel circumito aliquoties pago, quod rheda aliqui meo conſilio ; & olim, & hoc anno fecerunt, potationi ſe accingunt. Nobilis annos natus ſedecim venit in Spa menſe Julio, magno laborans liene qualem deſcribit Hippocrates, libro de affectionibus editione Foæſiana in fol. ſect. 5. fol. 81. natus & ipſe patre lienoſo adhuc poſt quinquageſimum annum cætera ſano. Facies Juveni hypochlora, lienis tumor & tenſio maxima, probe meo conſilio purgatus, ſolum Geronſterium multos dies avide hauſit, faciei mox vividior color rediit, tumori multum deceſſit : ſumebat inter ſingulos hauſtus loco aniſi,

niſi, tabellas quæ conſtabant ex cortice tamariſci, ſale fraxini; ſpeciebus lætitiæ Galeni & pauco diacrydio, ut alvus quod fœliciter ceſſit, bis terve in die moveretur. Juſculis incoquebat herbas lieni dicatas, cum cohleari tartari albi ſola lotione mundati & ſiccari; in enim longo uſu comperi plus ineſſe alviducæ virtutis, quam in ejus cremore, vel granulis, anxiis chemicorum manibus & animis eductis, cum coctione, quæ in terrea ejus & ſalina parte maxime conſedit, & tot ablutionibus, vis ejus purgativa plurimum tenues vaneſcat in auras. In uſu tamen tartari ſuum cuique judicium & experientiam relinquo. Juſſu meo potum vaſi ex tamariſco in prandio ſumendum tota nocte ad meridiem, atque à meridie in cæna bibendum infundi curavit. Dein lieni applicui emplaſtrum; quod capiebat ſucci Bryoniæ & clyclaminis ana lib. 12. olei capparorum lib. 1. ſeſamini, medullæ cruris bovis in lib. 12. bullitis lento igne ad ſuccorum conſumptionem, adde corticum rad. capparis, tamariſci, ceterachi; ſem. viticis, ana ℥ j. ß. gummi ammonii, galbani, bdelly aceto trajectorum ana ſemunciam. ſtyracis ℨ vi ceræ q. ſ. p. emplaſtro, tertio vel quarto die

to die mutando. Geronſterium aliis prætuli fontibus, quicquid reclamarent aliqui, quia plurimo turget chalybe; chalybeatis autem lienes quoſvis obſtructos, fœliciter curari, in Aſclepiedarum Lycæo, tam tritum eſt, ut gannire videatur, qui de eo dubitat, potius quam philoſophari, & cum ratione loqui. Hic ſemicuratus Zelandiam ſuam repetiit, proximo ut ſpero anno percurandus ſi redierit. Alius ſexennis puer & ipſe lienoſus, etſi ab uſu fructuum horariorum non abſtineret, poto ſtrenue ad duos fere menſes, Geronſterio pœne convaluit, ita ut minimum duritiei, cum diſcederet, remaneret. Geronſterium multo ferro, chalybeque turgere, quiſquis illum emunctæ nari, linguæque non fatuæ admoverit, quantumvis ruſticus fatebitur illorum etiam copiam, fontem diſtillando, comperiet.

Mercator dives Batavus, veſicæ calculo laborare ſe ſed erronee credens, eodem tempore hoc anno in Spa venit, crebra mejendi lotium craſſum, & cum dolore qui tantum mictionis initio urgebat, momentoque urina fluente ceſſabat neceſſitas; arenæ nullæ vel præſentes, vel prætéritæ; dolor renum nul-

lus, nulli unquam excreti calculi ; veſicarii lapidis Pathognomonica ſigna nulla, cum in urinis matutinis, ſeminis quid puriformis obſervarem, rogavi num Gonorrhæa virulenta laboraſſet ; reſpondit ſe ante tres menſes temulentum cum muliere quam ſanam credebat rem habuiſſe ; cum multos antea menſes viduus aliam non tetigiſſet, hinc mali primam labem & originem : ex illo tempore, ſe ſine dolore non minxiſſe, ſolito etiam crebrius & parcius mejere coactum, ſeminis autem fluxum in interula obſervaſſe flavo-virentem. Huic bolo caſſiæ cum rheo purgato, Savenirium ſuaſi, à quo cum antea alvo fuiſſet dura & valde tenſa, ſepties octieſve in dies ſoluta, diu prius inſomnis, totas noctes placide dormivit, & qui prius cubili vix pedem efferre poterat ; ſanior, pedes ad fontem ivit redivitque ; Cum præter dolorem in virgæ initio à gonorrhæa cauſatum nihil ſupereſſet : facile balſamo Peruviano, filo craſſo albumine ovi durato, applicito, intra paucos dies diſcuſſi. Hoc remedium in ſecretis numerare poteſtis. Vix ulli hoc anno fælicius ceſſit Spadanarum potatio, ipſa enim prima die, laxata ut dixi alvo, durities, tenſio, vigiliæ

giliæ ſe remiſere, crebritas mejendi retardata ad tres minimum horas, ita ut nocte bis tantum, & rarius ter matulam peteret; cum in Spa veniret vix horæ quadrantem retinere valens. Gonorrheæ interim moleſtia liber. ut vel hinc deſipere incipiant qui gallicis affectibus obnoxios, ab acidis arcent. Sincere enim affirmo, etiam hoc anno quendam Condylomate Venereo prægrandi laborantem: Alium oris apthis, fotu, potu, gargariſando acidas, percuratos.

Illuſtris Baro ſeptuagenarius, Dominæ hoc anno in Spa mortuæ conjunx, linguæ paralyſi, pedum convulſione. calculo laborans, ab iiſdem *M*edicis Spadam miſſus, primo die, qua 70. circiter biberat uncias, ſub veſperam catharro in pulmonem labente graviter infeſtatur, catharrum excepit primum tuſſis, dein febris valida, quæ ſenem tantum non funeravit: tandem accitis qui in Spa erant Medicis, multis uſus pharmacis, febri liberatus, ſanitati priſtinæ redditus eſt.

Pater Dominicus Carmelita Burgundus, anno ſuperiori in Spa venit, affectibus vel ſeni multæque experientiæ medico, vix credendis obnoxius poſt multras

pandiculationes, oſcitationes, cordis palmum, anguſtiam maximam, tetanum imminentem adſtantibus prædicit, primum omni ſenſu privatus jacet horulæ ſpatio, quo elapſo, toto corpore opiſthotanoſus, convellitur, tota facie ad humeros tracta volutatur, tanto cum rigore & robore, per lectum aut cubiculum (tam enim ſedens, quam jacens corripitur) ut terni quaternique validiſſimi, eique fini delecti fratres, continere ipſum nequeant. Paroxyſmus duas 3. 4. horas imo plures durabat. Cubitorum uterque thoraci vehementi convu ſione ita affixi, ut nulla trahentium vi avellerentur, ut in catalepticis vel congelatis. Paroxyſmo defunctus, negabat ſe ullius rei meminiſſe, nec aliud ſentire, præter anxietudinem languoremque cordis cum palmo, & oculis & tactu vicinorum perceptibili. Quinto fere vel ſexto die vi mali arietabatur, aliis diebus ſanus, avide cibum ingerens, digerens, egerens, complexionis melancholicæ, ingeniique acerrimi, membrorumque inſigni robore præditus. A biennio hæc patiebatur, plures patriæ ſuæ medicos, nullo ſuo bono expertus. Ex Burgundia Leodium venit, modum bibendi acidas, ex

qua-

quarum uſu ſanitatem ſibi pollicebatur, petiturus. Illum edoctus in Spa venit, ubi præviis purgationibus hauſtis bimeſtri aquis percuratiſſimus, & undiquaque ſanus ad ſuos rediit. Toto tempore quo in Spa fuit, nonniſi bis leviſſimeque correptus fuit. Hoc omnino inter naturæ miracula referendum cenſuimus cum Ogero. Rediit ille hoc anno ad acidas atque his calendis Septembribus, qua die hæc ſcribo etiam ibi agit, nec hilum ab anno ſuperiore paſſus, athleticè prorſus valens, juvante Deo.

Qui niſi te adjurit, vireſque afflaverit undis

Nec te fons Spadæ, Nec Siloë ipſa juvet.

Illuſtriſſima fœmina Princeps, ante biennium in Spa venit Hydropica, tum cælo non favente, potis exiguo profectu aquis ad ſuos ægra rediit, aliquot medicis exiguum ipſi vitæ ſpatium pollicentibus. Hoc anno medio Junio in Spa rediit, cum immani abdominis ad mammas uſque aſcitico tympaniticoque tumore; potiſque ultra bimeſtre aquis tumore plurimum diminuto, pedes & templum adiit & ambualtionibus ſat longis ſuffecit, cum prius geſtationem in ſella ægre pateretur, ut pleri-

que ſanam illam prædicarent. Cæterum Medici ſcyrrhum, utriuſque viſceris, nondum emollitum ſentientes, mecum male ominabantur, & ſane metuo ne quid illi hac hyeme ſiniſterius, quod dii avertuncent, accidat. Tempus veritatis pater, nos docebit ſucceſſum.

Nobilis quidam Caleanus utriuſque cruris paraplexia correptus, quantam ante non vidi; etſi enim fulcris ſuſtentaret ſe ligneis, neutrum tamen pedem terræ effigere poterat, utrumque panni inſtar madidi, trahebat, pulvere caryocoſtini, piliſque de Hermodactylo aliquoties purgatus, oleis etiam calentibus à cerebello ad ſpinæ finem unctus, acidas in lecto bibit, quibus ex voto meo tranſeuntibus, cum etiam utrumque femur calcaneorum tenus oleis laviſſet, brevi ſine fulcris inceſſit, ſicut ante paralyſin, in mari longa pluvia & multo frigore contractam; In prandio melicratum bibebat cum floribus ſtæchados, ireos florentinæ, ſalviæ & radice acori medicatum: veſcebatur aſſis, allio quod amabat, confixis: aut illis ſub finem cinnamomi, macis, nucis muſcatæ pulverem aſpergebat. Bis in hebdomade poto Geronſterio vomitum ſibi ciebat, à quo non reſumptis

illo die aquis, dabam roborando ventriculo theriacæ dragmam. Saniſſimus ille Caletum rediit.

Nubilis puella ante triennium hyeme aſperrima in paludem cænoſam lapſa aliquot ibi horas infixa hæſit, donec ſub mediam noctem, ex aquis jam gelu ſtrictis, magno multorum molimine, ſeminex, anaudis, minimum reſpirans extraheretur. Ad luculentum ignem, vino aromatibuſque recreata, lecto ſe commiſit, dormivitque, à ſomno febri continua, à qua vigeſimo ſeptimo die ægre evaſit, correpta fuit; Interim debillimo ſemper ventriculo, capitiſque inſanis cruciata doloribus, medicamentis nil proficientibus in Spa hujus anni Julio ineunte venit, ubi bis ſpeciebus elect. Indi minoris in juſculo ad delicias parato mixtis, oderat enim toties nullo bono ſumpta pharmaca, adprime purgata Geronſterium quatriduo bibit, à quo creſcentibus capitis doloribus, à me abſtinere juſſa, empiricum enim remedium ſunt aquæ acidæ, & crebro ut in Spadacrene docui ſagacis medici judicio mutandæ; Pouhontium in lecto fœliciter ſumpſit. Initio prandii & cœnæ piperis albi grana duodecim groſſe tuſa quotidie degluti-

vit

vit. Omnes cœnas clauſit ſemicochleari aquæ vitæ in juſculo aut vino diluto,ſicque ſemiſana medio fere Auguſto Spada diſceſſit : Domum reverſa ſumens quotidie mane opiatam ex rad: acori,ænulæ,cortice nucis muſcatæ conditæ : zinz. chinenſi,theriaca, mithridatio ac ſpeciebus pleres archon conſerviſque capitalibus continuando piper, & aquam vitæ 25. hujus menſis Auguſti, perfectiſſime ſe convaluiſſe ad me perſcripſit Trajecto ad moſam.

Observatio II.

Circa Somnum & Inſomnia.

Religioſus quidam Sacerdos,nonum feré ætatis luſtrum emenſus, jam à quindecim annis, aliquot noctibus, trucibus, & horrendis infeſtatur Somniis.In iis mortem ſibi intentari autumat, idque ut plurimum ab amiciſſimis, aut iis quibuſcum numquam illi vel jurgii, vel diſputationis, vola aut veſtigium interceſſerit. Singulis tamen ſomniis etiam eadem nocte recurrentibus mutat perſonas, cædis inſtrumenta, aliaſque circumſtantias : modo enim ſclopo, nunc gladio, jam fuſtibus aut

conto

conto vapulaturum ſe putat; morpheo nimirum in varias formas inſtar Protheiſe mutante; phobetore nihilo ſecius operante: Hæc ſomniorum mormolykia, ter, quater, & ſæpius ſingulis recurrunt noctibus, idque circa primas noctis vigilias, rariſſime enim, media nocte tranſita, patitur. Terror hic ſupra vulgares panicos tantus eſt, ut licet funibus vel linteis multiplici plexu irretitis, ſciens volens, imo præſentes hoc obſecrans, veſperi vinciantur pedes, terribilis per opaca ludens ſenſus, noctis imago, vires illi tantas ſufficit, ut furibundus & cæptis immanibus efferus ceu, novus Sampſon vincula vel omnino diffringat, vel certe compedibus, pedes expediat; ſeque extra lectum, imo extra cubile coniiciat, tanto horrore & horripilatione, ut toto corpore concutiatur; convellatur, cordis palmo tanto tentetur, & ſæpe cum manifeſta febri lecto ſe reddat. Hæc omnia dicit apertis ſibi obverſari oculis, campanæ pulſum ſe audire, horaſque diſtincte numerare, ſola ſe libertate judicii circa ea quæ ſpectant objectum ſomnii priuari. Nihil mutationis ſenſit, à cælo calido vel frigido, nihil etiam ſi eſurialibus diebus incænatus,
aut

aut ſi aliis à cœna ſomnum init. Quod ſi tamen ruri aliquando ad nobiles vocatus, quod rariſſime facit, aliquanto liberalius ſe vino invitet, ſomnia truculenta vel penitus ceſſant : vel multum de truculentia remittunt. Horum cauſſam arbitratur, quod vix unquam à capitis dolore obtuſo, totum ſinciput occupante, immunis ſit, qui aliquando eo acerbationis adſcendit, ut temporum arterias pungat. Vir eſt corpore obeſiore, quadratus, temperamenti ſanguinei, facetus, hilaris, cui tamen ætas & aſſiduæ lectiones, quibus immoritur potius, quam immoratur, melancholiæ quid aſperſerit, cum crebro ad populum in urbis populi frequentia celeberrimæ, æde primaria conciones habeat, & acres, & acutas, & diſertas, ut qui Clerum primarium, multos Theologos, aliosque litteratos auditores intueatur. Cæterum de priſtina ſolita ſibi hilaritate atque intra pomæria natis ſalibus, parum remittit, valuitque & valet pancratice vigilans. Diverſi in Flandria & Brabantia *M*edici, à melancholicis vaporibus ex liene elatis affectûs originem deduxere; eoque varia flexerunt remedia. Huic cervicalis elatio in Somno probata. de

preſ-

preſſionem alter prætulit. Alteri in lævum latus decubitus, alii in dextrum placuit. In Leodienſi conſultatione ante trienni-um inita, cenſuit Ogerus illud non à melancholiæ minera vel vaporibus, ſed potius ad exhalationibus bilioſis pendere, non à particulari membro, ſed potius à toto manantibus, ſuppoſita ut veriſimile eſt; tamen idiopathica quadam cerebri melancholica indiſpoſitione; ad cujus cauſſam procatharticam multum facerent aſſidua ſtudia, acreſque & violentis imaginationis in concionando contentiones, voluit itaque toti provideri, purgato cholagogis & melanagogis corpore, in utroque brachio baſilicas tundi. Aquas Spadanas & illo, & ſequentibus annis biberet, ſtudia omnino intermitteret. Concionibus & Cathedræ longum valediceret. Cibo uteretur humectante, haberet contubernalem nocturnum. Januis feneſtriſque ad amuſſim obſeratis lecto ſe committeret. Alioquin poſſe fieri, ut quæ hactenus ſomnians vidit, eadem poſthac obverſentur, planeque inſaniat. *M*ihi cerebrum protopathia laborare certiſſimum eſt, doloremq; capitis non eſſe cauſſam ſomniorum, ſed potius ſomnia aut quod veriſi-

veriſimilius ſomnum imperfectum, crudis vaporibus & flatibus cerebri menynges diſtendentibus & lancinantibus materiam præbere, debilitatumque inde calorem, ſanguinem pituitoſum bile perfuſum, qui eoſdem cum melancholico effectus facit efficere. Agitari ante omnia poſſet lepida & ſubtilis quæſti o num ſcilicet Theologus hæc patiens dormiat: cum præcipui in eo ſenſus, viſus audituſque vigilent? Item num ſenſus interior externis ſenſibus libertatem retinentibus, vinciri poſſit? Denique an Ariſtotelica definitio. Somnus eſt vinculum primi ſenſorii tolerari queat, ſed his ad pulpita pulveremque ſcholarum remiſſis, aut alio dilatis, curæ me accingo. Ab Ogero qui diu curam ejus egit præſcripta mihi probantur: Sed ſi quoniam à vino quod ipſe obſervavit paulo largius ſumpto moleſtia vel omnino, vel pæne liberatur, ſomno altiore, imſomnia fugante ſcilicet, quando vinum nec decore nec tuto ea quantitate indies à Religioſo Sacerdote ſumi poteſt; quid ſi ſuccedaneis eidem fini facientibus, utamur? Sane aqua Somnifera Langii ſæpe mihi fœliciter uſurpata, multiſque laudata practicis, dico de ſtillatitia ex uncia opii

& capitibus duobus allorum tuto uſur-
·i poſſe videtur. Idem cap. 11. lib,
diſcribit unguen de Alabaſtro, Italis
iltis & Gallis celebre Somno concili-
lo pharmacum, quod ego indies in
m voco. Eſt & pulvis in eo ſomni-
, itemque pedum lotio, qua ſomnum
uci etiam Aphrodiſeus lib. 2. probl. 4.
n recte obſervavit. cum enim nervo-
ı à cerebro propagines in talos deſi-
t, per aquam incoctaque ei medica-
ia, mulcebris ad cerebrum tranſmiſſis,
nos mulceri, atque in ſomnum invita-
illi Philoſopho dubium. Quæ ſi om-
quod non credo diſplicuerint, ſpon-
ane ſomnifera ab Heurnio lib. 2. me-
di ad praxin cap. 7. delineata, tuto uti
umus cum & illa amota facile ſopiti
ilent, aut ſi diuturnior illis ſomnus
pſerit, alia Spongia Serpilli decocto
rata, cum majorana apio & ſemine
culi aceto incoctis, naribus appoſita,
ad vigilias revocentur. Tandem meo
ilio & periculo, in ultimo cænæ hau-
emicochlear aquæ vitæ ſorbeat cum
iſia vel vino; Sic ego mihi & ventricu-
lorem blandum, & qui eum ſequitur,
ro ſuavam ſomnum concilio. Hu-
jus

jus periculum tuto faciet. Balnea etiam vel totius corporis, vel ſolorum pedum ex aqua dulci tentari poterunt. Si ligandus eſt, faſcia lata pro cingulo lumbis admota facilius lecticæ adligabitur, illam enim & difficilius franget quam compedes, & mollius habebitur, ut altius dormiat Somniiſque careat. Hac arte altiori Somno depreſſum vel omnino truculentorum Somniorum moleſtia liberabimus aut certe breviores, rarioreſque inſultus cauſabimur. Plura Philoſopho eximioque Theologo dicenda non puto, cum conſtet in altiore ſomno, ſenſum primarium, eique ſociam, ſi modo ab illo realiter diſtinguitur, quod alibi refuto, memoriam, ferias agere, nec ullum vitæ aut morbi imminentis ſit periculum, cum vigil ſanus ſit. Novi Senem Somnambulonem mihi à primis cunis Sociennum fidum. Hic (nec enim libet meminiſſe eorum quæ de vulgo noctambulis ſcribuntur) mira in Somno & fecit obſervatione digna & paſſus eſt. Cum admodum Juvenis in celebri Academia Poëſin profiteretur, atque interdiu mentem in omnia verſaſſet, ut verſum ad incudem ſæpius revocatum, melius tornaret, quod vigil nequiverat, noctu ſurgens,
plu-

pluteum aperuit, ſcripſit, ſępius alta voce quod ſcripſerat, relegit; demum cum riſu & cachino ſibi ipſi adplauſit:atque contubernalem ut ſecum plauderet hortatus eſt, poſitiſque ſandaliis, & veſte, clauſo pluteo chartiſque ut veſperi,fecerat repoſitis, lectum repetiit, ſomnumque dum excitaretur, protraxit. Omnium quæ noctu geſta eſſent ignariſſimus. Mane poſt oratiunculam ad ſtudia rediens, nondum viſis chartis pridiana ſollicitudine adhuc laborans, quomodo hiatus verſuum impleret, cum chartas volvens, eas impletas ad ſuum libitum idque ſua manu videret, ſyderato ſimilis, ſerioque ſollicitus bonine an mali genii, opus hoc eſſet; ſocios cacchinnantes cum lacrymis rogabat, ſi qua poſſent via, hanc ſibi moleſtiam eriperent. Illis quod geſtum erat, viderant enim vigiles,narrantibus,nec fidem noctambuloni facerent, ſequenti nocte,poſt ambulationem in alienum lectum deducunt, caputque cervicali quod ad pedum locum aptaverant, componunt, atque in talari veſte quam caſu ſervaverat, ſopitum dimittunt, nonniſi adulta luce ſponte expergefacto, adſiſtunt; omniaque & maxime ſurrexiſſe ſe negantem, taliaque legiſſe & ſcripſi-

ſcripſiſſe, facile tot circumſtantiis convincunt. Miror illum fæliciſſimæ alioquin memoriæ, tam longi in ſomno ſtudii & ſcriptions, obſervavi enim aliquando tres, quatuorve horas duraſſe, nullam reminiſcentiam habuiſſe. Sed hoc mirius; quod ambulatio ipſius nocturna, lectio, ſcriptio, pronunciatio, nec hilum à diurna differrent, cum in aliis plerumque hæc omnia imperfecte, ſicut in ebriis fiant; aut ut in pueris loqui & incedere diſcentibus. Illud miriſſimum, meoque captu altius, cum multo poſt relictis ſcholis uxorem duxiſſet omni virtutum genere eximiam, eam tamen, ut fert conjugum conditio, quædam celaret, quoties noctu infantulum cunis ereptum ut plurimum geſtans, domum perambulabat, comitante per omnia uxore, ſecretiſſimos ipſi cordis ſinus, rogatus patefaciebat, ad omnia uxoris quæſita veriſſime, & ſine amphibologia reſpondebat, ita ut à dormiente quæ à vigili nullis extorſiſſet illecebris aut artibus, quæque rogare erubuiſſet, ſimplici interrogatiuncula, quicquid vellet ſincere, & ſine fuco intelligeret, mirante ſæpius noctambulo, quomodo quæ ſuo unius ſinui credita putabat, in uxoris cor linguam

guamque veniſſent. Uxor ſurrecturum, ſæpe vel arctis complexibus, vel blanda prece in lecto tenere conabatur, ſed fruſtra. Amplexam enim ad ambulationem quoties loquebatur, vel trahebat, vel amice compellabat. alias illâ altius dormiente, ſolus noctuambulabat. Sub annum ætatis quadrageſimum quintum, cum ſcilicet & ſomni breviores ipſi fierent; & ſomniis, quibus noctambulus carebat, minus perturbati, noctambulare deſiit, nec unquam ſe ſopitus lecto movit, niſi pridiano vino venas nimium inflaſſet. Qui ambulantem & legentem viderant, & ſocii & uxor, & familia obſervare juſſa, oculis apertiſſimis fuiſſe adſeverabant. Ipſe tamen nec hilum ſe vidiſſe, ſanĉte affirmabat. Idem ceſſante ſomnambulatione, ſomniis multis, ſed plerumque veracibus detentus fuit; In iis ſoceri, uxoris, filii primogeniti, affinium plurium, ſecutura funera tam clare vidit, quam cum poſtea exequiis intereſſet. Etiamnum pleraque poſtridie ſibi eventura, læta, triſtia, rixas, damna, lucrum, ſomnio ita prædocetur, ut fere horam venturorum certo prædicat domeſticis, quovis Oneirocriticen profitente certius.

Novi ebrioſum Jureconſultum, virum cæteroqui eximie doctum, qui totis viginti ſex quibus eo familiariter uſus ſum annis, numquam decubuit, ſomnum in Cathedra curuli æſtate juxta ac hyeme ſedens inibat, nulla veſte, quam interdiu geſtaſſet depoſita, calceos tantum crepidis mutabat, pedeſque in ſcamno reponebat quod ſedem altitudine æquabat, ita ut tali clunibus ſedentis in linea recta reſponderent, ſicque totam dormiebat noctem; Hic cum temperamento bilioſiſſimus eſſet; ideoque bile mota, quam clyſterem naturalem vocat Avincenna, bis, ter in dies alvum deponeret. Demum ut docet Hippocrates ſect. 2. Aph. 53. cum ſeneſcenti adſtringeretur; pituita nimirum bilem ſuperante & ætatis & quotidianæ ebrietatis vitio, erat enim ſexagenario proximus: nec alvum tenſam ulla arte poſſet deponere in ſede ſua naturæ penſum perſolvit, inteſtinis, immane quantum tumentibus, adeo ut viderem craſſitie brachium adſtantis quod duabus vix capiebam ſpithamis ſuperaſſe. Dum mortui fieret anatome ſtatim muſculis abdominis, & peritoneo ſecto; inteſtina ſponte crepuerunt, anatomicumque & viciniores, tanta

alvina-

alvinarum fæcum mole obruerunt, ut veſtes illorum, nemo adſtantium, internoſceret; Itaque omnibus fœtorem fugientibus, nihil ulterius obſervari potuit. Hoc rarum, quod colon inflammatum, & immane quantum tenſum, loco ſuo motum à Medicis judicabatur, adeo enim cætera premebat intéſtina, ut alvo omnimode ſuppreſſa, decimo demum die Ileoſus fato ſuo fungeretur. Cum ad conſilium biduo ante mortem vocarer, negaretque Medicus Chymicus ipſi ſanguine junctus, ſe alterius Medici præſentiam paſſurum; ſuaſi qui me conſulebat fratri, darent patienti argentum vivum crebro per corium tranſitu perpurgatum, quod ſæpe vidi ſine noxa, momento citius, eductis ſecum obviis fæcibus per inteſtina tranſiſſe, à cujus uſu ne frigore ſuo interanea læſiſſe poſſet, ſtatim clyſterem ex puro cretico vino injiciebam, ſicque aliquot coli nimia tenſione morituros, cum Dei gratia ſervavi. Sed Medicus maluit hominem in certa morte relinquere, quam remedium quod inexpertus, maximus alioquin periclitator, judicabat periculi pleniſſimum, tentare. Pilas alii in hoc caſu aureas, argenteas; aut etiam ſi illa de-

ſint plumbeas præſcribunt, ſed argentum vivum pilis omnibus expeditius, velocius, inteſtina percurrit perpurgatque & vivunt hodie multi, qui norunt Centurionem non ita pridem mortuum, cui cum Princeps comeſſabundns, in media compotatione riſum captans ſelibram argenti vivi in capaci poculo vino pleno propinandum curaſſet, ipſe obducto amyſtide vaſe, præſentibus omnibus, nec enim, adhuc fere bibens, fugere poterat, atque in cachinnos effuſis, largiſſime & cum fænore pridianæ cœnæ, per anum innoxie reddidit ultraque triginta annos ſanus vixit. Dicens cum inter pocula rideretur, ſe clyſteris compendium feciſſe, aliis idem eveniſſe ſcio.

Observatio III.

Catalepticorum, eique affini affectu correptorum, caſus rari.

FRater Chriſtianus Juſulenſis, Leodij Capucinus ante octodecim annos, catalepticus factus. ad illum qui ordinariam Capucinis medicinam faciebam vocatus, invenio aphonon, & apolepticum, hoc nomine diſtinguunt quidam

quidam ſecundam apoplexiæ ſpeciem, quæ eſt ſubitaria & fugax vocis interceptio cum ſenſus & motus omnimoda fruſtratione.

Obſtupui, voxque hæſit faucibus, cum ſtatuæ marmoreæ quam homini quem pridie ambulantem videram, ſimiliorem obſervarem. Uno genu terræ innitebatur, alterum ceu flexurus curvabat: Brachiorum ſiniſtrum, pendebat ad genu, dextrum in aerem elevatum diductis digitis, viam prætereuntibus,ut olim Mercurii ſtatuæ oſtentare videbatur. utrumque omni gelato marmore frigidius. patebant oculi, ſed irretorti, & quicquid ſudario illos perſtringerem inconnivi. Os hiabat, cum reſpiratione ſatis libera. Pulſus in utroque brachio & temporibus ſat magni: cum ad ſatietatem ſpectaſſem; dixi accerſerent aliós Medicos, meque cum ſtatuam exuiſſet æger, cum illis revocarent, in caſu enim ad hanc mihi diem inviſo nihil tentaturum niſi conſultis ſenioribus. Volebam tamen injici interim validiſſimum clyſterem,ſed Apothecarius negabat ſe ulla ratione, ob ſtrictas nimium natés injicere poſſe,glandem ergo præſcripſi ex ſpeciebus hieræ colocynthidos, & ſale gemmeo

muſcerda, juſſique excipi felle, loco mellis, ut acrius pungeret: ægre immiſit, & cum bonis ægri rebus, valide enim ſoluta alvo, multiſque bombis emiſſis, degelatus membra movit, ſurrexit, ambulavit, omnium præteritorum ignariſſimus, tanquam ex idolo vivoque cadavere homo repente factus, aut ut promethei ſtatua lutea novo igne animatus. Tum fricatis naribus ptarmicum potentiſſimum inſufflaveram ante horas aliquot, ſed ſine effectu, ijſque motu calfactis ſæpe ſternuit, multumque vitreæ pituitæ, aut glaciei, ut verius loquar, excuſſit. Cum ſub vigeſimam horam ad ſe redijſſet, convenere mecum Michael Ogerus & Nollens. Poſtquam hiſtoriam ægri narraſſem, rogavi huncne caſum aliquando vidiſſent: ego vero pluſquam millies, inquit Nollens, ubi inquam, Romæ inquit, nello ſpedale della Anima. O te infœlicem inquam in veriverbio, non puto fuiſſe mille catalepticos, ex quo morborum terris incubuit cohors. Galenus, & Fernęlius, Platerus, Dodoneus unum duoſve viderunt, apud alios pleroſque practicos, altum de illis ſilentium. neque veriſimile eſt tam raram rem ſi vidiſſent tacituros fuiſſe. Ego ſane

ſane nullum præter hunc vidi; nec ego inquit Michael Ogerus, etſi jam ſexaginta fere annos medicinam facio. Ita conſultationis tempore ut plerumque cum ipſo fiebat, inter inania verba & ſine mente ſonos conſumpto diſceditur. Ego ſolus relictus primum laconicum, ſeu ſtuffam Germanorum quam adhuc hodie integram ſervant Capucini, paucis horis ſtruendam procuravi. Credebam enim algidiſſimum hoc, corpus non niſi in aere perpetuo æqualiter calido ſervari & curari poſſe. Cum illud ingreſſus eſſet, flatibus in cerebrum delatis diſcutiendis, incumbendum duxi, unaque novorum generationem impediendam ſtatui. Injecto ergo ſub veſperam validiſſimo clyſtere, qui præter calida quæque recipiebat etiam elleborum, turbith, trochiſcos alhandali, omnibus in jure veteris galli decoctis, colaturæ remiſcebam, hieram diacolocynthidos, confectionem hamech, elect. de baccis lauri, theriacam & aquam vitæ rectificatiſſimam. poſtridie eccoprotico commode purgato, cerebelli regionem radi juſſi, fotamque cum tota ſpina decocto lavendulæ, lauri, acori, ſtœchadis ex malvatico incoctis, cui tepenti addebam aquam catharralem.

lem. inungebam primum caſtoreo, aurea alexandrina, melle anacardino, theriaca, oleo petroleo & ſuccini ſolutis. Huic unguini ſuperponebam emplaſtrum Paracelſi eiſdem oleis recens ſubactum. Dabam cibos convenientes. Bibebat Hydromel dilutiſſimum cui ſaſſafras, fœniculum & aniſum incoxerat, miſcebatque præeunte Galeno ℥. ſimpl. vinum fulvum & igneum; indies ſumebat conditum ex conſeruis acori, ſtæchadis, nucis muſcatæ, zinz. chinenſis, Theriaca, cum conſerva pleres archon. Sicque cum Deo toto biennio liberrimus à congelatione fuit Pannificii interim artem, quam, erat enim laicus, exercebat in ſtupha quam dixi. Tandem cum menſes aliquot cum cæteris ſaniſſimus vixiſſet, omiſſiſque medicamentis, pauperrimo cum fratribus victu veſceretur: quodam die quem totum fodiendo horto triverat, cum veſperi nihil haberet quod ederet præter laridum & herbas domi natas, denuo catochomenos factus eſt: ut mirer Dodoneum, & ex illo Heurnium ſcripſiſſe, neminem ſecundo ſine pernicie certa hoc morbo corripi poſſe, cum hic frater Chriſtianus ſæpe etiam in alterum & tertium durantibus diem catochis

tochis laborarit, qui tamen hos annos ſaniſſimus cum ſocio Spadam ituro in muſæo me meo conſuluit. Jam multis annis gelu non ſenſit, quia quamprimum rigente parum collo, ſecuturam niſi malo occurrat, congelationem præſagit; ſtatim oleo nuchæ totique ſpinæ adfricto ad multos menſes immunem ſe reddit, omnique Capucini munia cum cæteris obit jam quadraginta & aliquot annos natus. Cibo potuque Monaſterio miſero familiari, alitur, & tamen jam à duodecim annis, nihil ſenſit mali.

Civis Leod. mercator pulveris pyrii, à rivali ſuo, hoc in agro Leod. non auſuro, Namurci in regium carcerem conjicitur, è quo dato vade, liber domum reverſus, totum melancholiæ, hoc eſt ut ille dicebat, Diaboli balneo ſe immerſit. paucos poſt dies acute febriit, ſine delirio tamen, à febri liber, in amentiam primum, dein in furorem verſus vinculis coerceri debuit, numellas manus ſtringentes tanto interdum quatiebat ſtrepitu, ut fracturus crederetur uxoris omnium quas vidi patientiſſimæ, & mariti amantiſſimæ collare dentibus arreptum, non diſcerpſit, ſed pæne inſtar farinæ moluit; idem & ſuo

 induſio

induſio fecit. Melanagogis mane per epicraſin diu ſumptis, conciliato etiam multis noctibus ſomno ad mentem rediiſſe viſus; domum veſtitus perambulavit, hortum adiit, menſæ accubuit, litteras mercatorum recepit, legit, cum judicio reſpondit, ut omnino reſtitutus ſibi videretur; 20 à captivitate menſe fatuiſſimus factus & repueraſcens ſub ætatis annum 40. primum ſiniſtræ manus digitos tres ultimos ita lunavit ut nulla arte extendi poſſent. purgato capite: applicitis medullæ ſpinali oleis calefacientibus & humectantibus, digitorum uſum recuperavit, ſed paulo poſt, omnes digiti ejuſdem manus incurvati riguerunt, &, ut in catochico, nullo ingenio dimoveri potuerunt, paulo poſt & dextro captus brachio, & utroque crurum, aphonos factus, immobilis jacuit: multis litibus & fomentis & gargariſmis, linguæ motum recepit. Sed toto biennio ad mortem uſque vocem articulatam aut ulli etiam uxori intelligibilem formare non potuit, inſtar infantis ſemeſtris lallabat, alienaque manu cibum capiens ſuſtentabatur: alvus interim utcunque reſpondebat ut raro clyſteribus vel ſuppoſitoriis egeerit, reſpiratio ſemper liberrima, puſtul-

ſuſque optimi. Tandem ſub quarti anni à captivitate finem fatis conceſſit. Ad Anatomen vocatus curavi accerſiri Carolum Ogerum cum anatomico artis ſuæ perito. volui primum cerebrum inſpici, quod ablato cranio, ſicciſſimum, durum, adeoque in ſumma parte digitis meis friabile, flavedine citri æmula undiquaque ad altitudinem digiti tinctum, obſervatum circa ventriculos & baſin mollius & humidius, colore tamen aliquantum vitiato, reſte admirabile depreſſum; Nervorum origines ſiccæque ſolito graciliores: Thorax, imuſque venter nihil obſervabile exhibebat.

OBSERVATIO IV.

Circa viſum & oculos.

VIvit etiamnum Medicus non ineruditus qui anno 1613. rus vocatus ad Nobilem in ſingulari cum Hiſpano certamine graviter ſaucium, cum noctu ſomnum capere non poſſet de ægri brachio, quod Chirurgus amputare volebat, ipſe autem ſervavit multa animo verſans, per pellucidam feneſtram, Lunam quæ forte pleniſſima erat ultra

tres horas attentiſſime intueretur, veterumque de illa Philoſophorum ſomnia, vigilans mente volveret tandem alte ſopitus cum in multam dormiſſet lucem, famulum rogat quota ſit diei hora, illo decimam dicente; aperi feneſtras inquit nec enim quicquam præter denſiſſimas tenebras video, famulo, clarum mane ultra quadrihorium feneſtras pulſaſſe adſirmante; veſtes popoſcit, feneſtræ demum admotus, lychnoque candelæ accenſæ applicitis digitis, ſero intellexit, nimio Lunæ lumine ſe omnino vel amauroſi correptum, vel excæcatum. Domum reductus, in uxorem, ſolitum à marito baſium in domus limine exſpectantem ita impegit, ut fere puerum ſinu geſtantem in terram dejiceret, rogavit illam curioſe oculos inſpiceret, numquid in pupilla, aut alia parte obſervaret. Illa nitidiſſimum utrumque adfirmante cenſuit Medicus; vel cerebri, vel nervi optici, nec enim ſupercio humoris cryſtalloidis cum caſu ictuque nullo concuſſus eſſet, vitium eſſe. Cerebrum calore radiorum lunarium tamdiu tactum, liquata ab eo pituita, humida intemperie affici potuiſſe: Opticos autem nervos fluentis pituitæ recepiſſe aliquid, eique præ-

cipuam

cipuam cauſſam adſcripſit. Aliis Medicis, cum abeſſet cui ſoli credere ſe voluiſſet, non vocatis, certiſſimus vel cito mori, vel viſum recuperare, ſanguinis iterata poſt phlebotomiam, etiam cucurbitarum adpoſitione (ſumptis aliquoties pilulis lucis cum cochiis, naſalibus validiſſimis uſus, decimo octavo die clare videre cœpit, cæterum omnia ipſi gemina oculis obverſabantur, ita ut nec legere, nec ſcribere poſſet, niſi altero oculorum clauſo. Tum facile conjecit cryſtallinum humorem loco motum, tot cerebri ejuſque humorum tam validis & elateriis agitationibus. Infuſo itaque Senæ & fumariæ, cum aniſo & fœniculo per epicraſin, conditoque caput & oculos roborante uſus, ſingula ut prius & accurate vidit. Cæterum quæ in plateis in linea occurrebant recta, ut equos vel bigas, totis à latere octodecim vel pluribus diſſita pedibus, cernebat. Tum veſicis ſæpius in nucha, ſcapuliſque, cucurbitarum longa applicatione excitatis, vaporeque & halitu aniſorum modo coctorum, modo maſticatorum, optimaque victus ratione, ſub finem quintæ ab amauroſi hebdomadis, viſum quo etiam nunc cum Deo fruitur, perfectum recepit, perſpi-

ciliis tantum præſervativis, cum minimos &maxime græcos characteres legit,utens.

Novi qui ulceribus gallicis caput obſitum habens, humeroſque non purgato ſatis corpore Gvajaci decoctum cum bibiſſet, nono die in ſimilem vel amauroſin vel cæcitatem lapſus, iiſdem fere remediis, ſed paulo tardius à me percuratus eſt, annis ab hoc duodecim, verum ne quid diſſimulem, cælo valde calido & ſereno, nubeculas modo uni, modo alteri oculorum obverſantes cum exigua moleſtia cernit; notat, & eſt philoſophus eximius illas oculos egredi, pauloque poſt ad ulnæ circiter ſpatium à facie diſſitas evaneſcere ut faciunt bullæ puerili flatu, in putamine nucis ſapone nigro & aqua pleno excitatæ. Hyeme & cælo obſcuro vix patitur, ſed ſi æſtate à meridie dormiat; tum diu & moleſte, niſi in obſcuro poſt ſomnum maneat loco, à ſpectris illis afficitur. In cubiculo obſcuriore accurate legit & ſcribit.

Duo fratres nobiles, annos ante octo, inimicum, cujus vitæ inſidiabantur, quia ſorori vitium vel fecerat, vel certe compreſſiſſe ſe jactaverat, in campo, quo illum ad perdicum aucupium pelle-

pellexerant, arbori adligant, alterum oculorum cultro ſectum omnino eruunt: alterum digitis expreſſum, ad extremitatem naſi, cujus partem etiam cultro præſciderant, pendulum relinquunt, cæcum atque à beſtiis noctu vorandum reliquiſſe ſe rati. Ille vero ſat commodo viſu uſus, vinculis ſe expedivit atque ante noctem, Chirurgi domum venit, qui oculum cavo ſuo repoſitum, aliquandiu obligavit, ſanumque hominem, probeque videntem dimiſit.

Affirmavit ille mihi ſe cum propendente oculo ambulantem, viam qua incedendum optime vidiſſe, ſed cum agitatione, vel fluctuatione quadam, qualem in ſuperficie fluminum vento agitata obſervamus. Hoc ab oculo & nervo optico, motante ſe, inquietaſque viſibilium imagines recipiente, manaſſe credo. Quarto poſt anno, utriuſque familiæ rebus adſidua lite fere attritis, ab altero fratrum ſclopo occiſus eſt, ad illum diem nec minimum in ſano oculo incommodum ſentiens ut ſæpe mihi adfirmavit & vidi legentem ſcribentemque. Novi alium cui puero ictu tegulæ excuſſus oculus, ultra dimidium naſi pendebat, etiam illi repoſito à Chirurgo oculo viſus

viſus nulla in parte imminutus, quod mihi his diebus ſexageſimum jam quartum annum agens adfirmavit.

Ante annos viginti novem, multum maris & terræ emenſus ſum cum Lithuano quodam, chemiam variaſque artes ſerias, ludicras, etiam magicas, quarum tamen me præſente nullum unquam ſpecimen & ſi ſerio conaretur edere potuit, profitente. Hic ab omnibus Medicis; agyrtis, anubus, veneficis, chemicis, in tota quam obierat Europa & Aſia, ſecreta ut vocabat, prece vel pretio, vel permutatione, plurima collegerat. Inter alia Gallum gallinaceum, utraque illum manu tenens, mihi obtulit, juſſit me oculum ſæpius acutiſſimo ſcalpello punctum, interque digitos preſſum, orbitæ cranii reponere: affudit illi liquoris guttas duas, obligatoque capite ciſtæ incluſit, è qua poſt horas octo eduxit, utroque oculo ita ſibi ſimili ut nec ego qui ſecueram nec adſtantium ullus, ſectum oculum à ſano poſſet diſtinguere. Succus ille erat is, ut mihi fatebatur qui in veſicis ulmorum Maio menſe invenitur, quique niſi tnm colligatur, in granula quędam rubra vermiformia mutatur. Hanc ego artem ludicram, nullique unquam profutu-

futuram, dicens, cum ſcire non poſſemus, an cum oculi externa pulchritudine, viſus ſervaretur; cum tamen aliquot annis ſuccum hunc colligi curaſſem, eſt enim vulneribus ſanandis commodus, caſu duabus ſororibus à prandio colludentibus, junior adultioris linteum fuentis brachium vi elevans, acum in mediam pupillam alte adigit; extemplo à patre Principis conſiliario accitus, obſervo aqueum humorem, & partem vitrei effluxiſſe; applico oculo tumenti veſicarium ulmi ſuccum ſub quartam pomeridianam; jubeo ſub mediam noctem, linteum admotum ſi ſiccetur novo liquore imbui, quem othonnam certius, quam tot ignotarum herbarum ſuccos nominarent botanici. Mane teſtor Deum & fidem externa ſanam offendi, ſed illius oculi lumine captam. Etiam nunc vigeſimo fere poſt anno, nullus excæcatum oculum à vidente, etſi curioſe indaget, diſcriminare poteſt. imo multis annis cum marito, orbitatis ejus inſcio vixit.

Libet hic in gratiam curioſorum adtexere problema, quo ſæpe amicorum ingenia, Philoſophicis & Medicis litteris adprime imbuta exercui. à nemine enim ante me agitatam hanc quæſtionem

nem obſervavi ; cur ſcilicet icterici omnia flava, verè opthalmiontes rubra ; alii cæruleis aut viridibus uſi conſpiciliis cum medio per quod vident, ejuſdem coloris objecta cuncta judicent : Et tamen qui per album ſive illud vitrum, ſive aqua ſit aut vinum, medium, viſionem exercent, non ut alii alba talia cenſent, ſed ſuis quæque coloribus dotata, ut ſunt internoſcunt. An albus color non eſt ut ſunt alii ; & ſi eſt, cur illi ſoli hoc extra omnium aliorum ſortem contigit, obviorum imaginem aut ſuperficiei determinatæ extremitatem, non mutare. Qui ſtatuet non colorem, ſed lucidum vel lumen eſſe primum & præcipuum viſus objectum, facile tricas dubii hujus extricabit.

OBSERVATIO V.

Errores aliquot Medicorum in febribus maxime.

CUm alias ſæpe, tam ſemel infra diem quintum obſervavi duobus febrientibus narcotica data, in necrotica Medicorum culpâ abiiſſe : & qui requiem ſempiternam, ſopore æviterno ligati conceſſerunt. Vidi

Vidi qui à Syntaxeos claſſe non ſalutatis vel à limine Philoſophis, Ambubejarum collega & Pharmacopola factus, cum novem circiter abfuiſſet à pharmacopolio menſes, medicinæ Doctor, in Gallia renuntiatur, Reduci obviam mihi facto, & ſuperbe ſplendidis veſtibus annuliſque conſpicuo, ut Ariſtophanis joco in Neb. *Sphragidoniichargocometis*, jure ſalutari poſſet, feroclenti: unde tu nobis inquam? cur tam diu officina tua vacat? Ego inquit ſum Doctor: ergo & doctus ajo: imo, inquit, & te doctior. Amabo te inquam, eſne doctus nominaliter an participialiter, ut Rudimentarii loquuntur. Ego inquit Philoſophiam tuam nec aſſis facio; mihi ſat eſt & doctum eſſe & Doctorem te doctiorem. Ejus rei literæ meæ aureæ prægrandes fidem facient vulgo. In patriam reverſo, tam ſplendidas oſtentanti membranas, vituli pro vervece ſcilicet, uberrima praxis obtigit: Hic cum ſeni longa vigilia vexato, erratica febre ſemuſtulato, emulſiones frigidas cum diacodio & ſyrupo papaverino, Nicolaique requie fruſtra dediſſet, ad conſilium me vocavit aut acciri paſſus eſt. Quid agimus inquam? Seni huic qui habuit febris cauſi, ſomnus

nus conciliandus ait. Jam fateor te me doctiorem inquam, tribus enim vocibus duos ſolœciſmos committi poſſe docuiſti. Sed ad curam. multa inquit frigida incaſſum adhibui; & tamen ſolis frigidis ſomnum provocari omnes docent Medici. Non puto inquam quenquam prudentum Medicorum in tua eſſe ſententia, cum Opium quod inter ſomnifera primas tenet, Chymiſtæ plerique, Galenici multi calidum adſerant, & inter eos Mathiolus: cujus hæc ſunt lib. 4. c. 60 & quamvis Opium quarto exceſſu frigidum ſtatuatur, tamen ſi ex ſapore & effectu rerum temperamenta & qualitates cognoſcuntur, Opium noſtri uſus non modo guſtu amarum percipitur, ſed etiam acre, adeo ut paululum in ore detentum linguam & palatum exulceret: unde haud dubie colligi poſſe putaverim, calidiſſimas illi ineſſe qualitates. Cujus rei fidem augere poteſt ea quæ ex eo prodit odoris gravitas. Hæc Matthiolus, qui multa ſubnectit, ſed piget tranſcribere, verum cum tamdiu ſomno conciliando fruſtra invigilaveris; Quid eſt Somnus inquam. Somnus eſt vapor ait: ergo eſt ſubſtantia ſubjeci. Nil mihi cum Metaphyſica tibi in horas aſ-

ſueta

ſueta ait, ſed ſeni ſomno opus eſt. Niſi inquam ſomni eſſentiam noveris, numquam illum tuto tibi aliiſque acceríes. Somnus Ariſtoteli non eſt ſubſtantia, ſed vinculum primi ſenſorii. vinciri illud ſenſorium ſine vapore nequit, non tamen eſt ſomnus vapor, ſed eo ut cauſſà materiali eget. Si itaque ut in omnibus febrientibus vapores cerebrum petituri nimium caleant, frigidis ſumptis admotisque ad temperiem revocati, ſomnum inducent lenem: Sin autem ut in ſenibus, vapores algidi, & lenti & pauci, & ſopori gravi quam ſomno aptiores caput petant, vino dulci vel aqua vitæ non rectificata, alas eis vireſque miniſtrabis: ſic brevi gratiſſimum Deorum placidiſſimumque vigili adduces: quod & ſeni noſtro obvenit, amiſſis frigidis, & poto vel potius comeſto vino dulci. Si adhuc credis ſolis frigidis homines ſopiri; ſi mihi medicinam feciſſes, bis hoc quadrimeſtri me jugulaſſes. Bis quinque dierum catarrho, & materia & efficiente frigido laboravit in utroque pervigilium tam pertinax, ut illo decendio, quindecim horas non dormiverim, multi alioquin etiam in ſenio ſomni. ſumpſi. quotidie bis in prima menſa piperis albi leviter tuſa grana

na duodecim; interdiu conditum ex cortice nucis muſcatæ, zinz. chinenſi, rad. acori veri, Enulæ, Theriaca, Mythridatio, ambra chryſea, conſerva betonicæ, anthos &c: atque utraque vice nocte ſexta, totas decem dormivi horas, omnique catharro liberatus ſum; bibens interim optimum hydromel, omiſſo omni vino, quo quamdiu utor, catharro nunquam defungor. Si frigidis remediis, qui calidis tam cito convalui, uſus fuiſſem, cum ſtomacho & cerebro algerem ſexagenarius; quid mihi futurum fuiſſe putas? Vides æque calidis ac frigidis ſomnum provocari, dum adſit conveniens vapor, pro patientum varietate, quorum humores ſi ad Symmetriam debitam revocentur, juſtaque quantitate cerebrum feriant, ligabitur ſenſus internus, quod ſi tum & animus à curis, cæteriſque affectibus ferietur, dormient omnes.

Anno 1629. cum totis duodecim annis Sole orbitæ ſuæ ut videbatur oblito, deſtituti, vix æſtatem ſenſimus; imo in Spa etiam mediis Syrii diebus alſimus atque ad endromidas, & focum, ut alias in hyeme coacti; hoc anno caniculam ardentiſſimam experti, maximos etiam Autumno incipiente æſtus perpeſſi.

perpeſſi. Itaque flagrante cælo multi ignibus; ita vocat Hippocrates febres magnas, pleriſque noſtrum incognitis, correpti ſunt; viri maxime qui generoſioribus vinis ſe ingurgitarant, & mulieres quæ ob tumultum civicum, vigeſima quinta Julii caſu natum, acrius ſibi ſuiſque timuerant. Primis tribus quatuorve diebus, ægrotare ſe negabant, etiam è Medicis amicis ad phlebotomiam pharmaciamque invitati; nauſeabundi, inquieti, ſpontanea quadam laſſitudine torpidi, domos veſtiti ſanis parum abſimiles perambulabant. Die quarto multis gravedo capitis, in dolorem acutum tranſibat. Tunc acciti Medici, phlebotomiam fere ex Galeni ſcito, qui dicit, *Quoties duorum celebrium remediorum, phlebotomiæ & pharmaciæ incidit neceſſitas ſemper à phlebotomia incipiendum*; uſurpabant. Galenum ſequuntur Duretus, Simonius, Longius: Alii praxi ſuæ inſiſtebant, ac à pharmacia auſpicabantur. Ægrorum plerique die ſexto vel ſeptimo delirabant. nono,. decimo, aut ſerius, vigeſimum tamen qui ſuperaret non vidi, moriebantur convulſi fere omnes. Nauſearunt plurimi, pauci vomuerunt, alvus ut plurimum pigra, quibuſdam u-

no

bus implicarentur, quorum unus & alter in marcorem deſinerent. Qui parcius bibebant, acetoſam, violariam, fragrariam, caltham &c. cibis omnibus incoquebant, atque poſt aliquot dies, ſine ulla criſi morbo liberabantur, & qui reliquias, vel pharmaco validiore, vel epicraſi non ejiciebant, fere recidivabant. Hæ febres paſſim malignæ peſtilenteſque; raro peſtiferæ fuere, vix unquam ſupra duos in iiſdem ædibus extincti; & quod mirius intervallo ſemper ſex vel ſeptem ſeptimanarum; ita ut malignitatis multum, contagii parum habuiſſe ſentiam. Recordamini credo Galeni, qui undecimo methodi dicit, in ſynochis plerumque deterius curari divites quam pauperes, cujus & ſi ipſe alias rationes adferat; certum eſt qui in his febribus ſæpe ſyrupos, conſervas, alia ſaccaro medicata, quæ plerique præſcribebant Medici ſumpſerunt, ad plures ſive Alibantas iviſſe. Nimis facile bileſcit ſaccarum, & mel (quo ſæpius quam ſaccaro Pharmacopæi ſua condiunt) ut teſtatur Gal.3. de Alim. ſicque febrem febriumſymptomata auget. Expedit ergo ſuccis herbarum recentibus, aut in uſum ſiccatis & in febribus & in dyſenteria uti;

præeuntibus nobis, Maſſaria, Bucephalo, aliiſque Italorum doctiſſimis. Ante annos 18. ditiſſimi mercatoris uxor cauſone laboravit; curabamus illam quinque Medici, rebus ex voto euntibus, ſolus vocor die decima quarta, hora noctis undecima, cum flentem viderem familiam, ægramque quia debilior ſibi videbatur de vita deſperantem; facto examine, obſervo illam octies ſeceſſiſſe, aliquot lotio impleſſe ſcaphia, jam ſudore calido undique perfuſam. dato pane vino tenui intincto jus capi propino, cui papaverinum ſemen linteo illigatum incoxeram: Cum in ſomnum pronam viderem, certus alvi veſicæque excrementa in dormiente ceſſatura, quæ etiam cauſa provocandi ſomni princeps, ablata ſtragulorum parte, ſub horam noctis primam, blande ſudantem relinquo. Neque ſic ſecuro de uxoris vita marito: Aut ars inquam medica, non eſt ars; aut Deus omnino me excæcavit, aut uxor tua etſi vellet, poſt tam laudatam criſin mori non poſſet. Mane Collegis re narrata omnibus ægræ rem in tuto adfirmantibus plerique dimittuntur. Rogo D. Carolum Ogerum ſocium mihi relinqui, redituros ſub veſperam. Inveni-

mus

mus tunc peregre accitum ex Pharmacopæo Medicum qui quod ſane factum non oportuit, nobis inconſultis clyſterem hora quarta pomeridiana, ne nihil feciſſe videretur, injecit: quo cum fæcis aliquid nigræ, cujus noctu plurimum effluxerat, erat enim melancholiciſſima, eduxiſſet. En inquit finem morbi, humore hoc in corpore reſtibili, certo pereundum ipſi erat. Credens ille ſycophantæ ſimplex mercator, moroſiore vultu nos hora quinta venientes intuitus; objurgabundus rem narrat, nosque paucioribus donatos ſtuferis, quam ille ducatos accepit, dimittit. Ego vero medicaſtro in os dixi. *Quæ judicantur perfectè, quæque judicata ſunt exquiſite, nullo modo movenda neque medicamentis purgantibus, nec aliis irritamentis, ſed miſſa facienda.* inquit Hipp. ſect. 1. Aph 20. ubi in commentario dicit Gal. *etiam à lenientibus, & balneis, & clyſmis in hoc caſu abſtinendum.* putaſne me qui te adhuc pharmacopæorum mortaria piſtillo tundente in Italiæ, Galliæ, Angliæ celeberrimis urbibus medicinam faciebam, niſi viſis tot præviis ſeceſſibus hypercatharſin timuiſſem, quod tu male feciſti & cum præſentaneo ægræ periculo, omiſſurum fuiſſe? Illiteratus

erat hic Medicus, Hipp. & Galeni Scriptorum ignarus, ſed vernacula lingua ad urbanitatem elegans, & in praxi illa tempeſtate ſat fœlix. Poſt enim cum longo uſu, progreſſus in litteris aliquos feciſſet, fælicitate ſe ſolita deſtitui mihi queſtus eſt. Reſpondi 2. phyſ. cap. 6. dicere Ariſtotelem *ubi multum eſt intellectus, ibi parum eſt fortuna.* prudentes ſolidæ methodo inſiſtere, temerarios & in praxi cæcutientes, cæcæ fortunæ cæcos ſe poſſe credere. Itaque etſi ſæpe proximis annis Leodium vocaretur, vix quicquam illi ex voto ceſſit. Imo ſæpius cum noctu fælici criſi evaſiſſent ægri, rogabat mane qua hora eſſent mortui. Itaque ad nos vocari deſiit.

Ante annos quatuor vir quadragenarius temperamento cholericus, cæterum exactæ vivendi diætæ à teneris aſſuetus, ob litem male ſibi motam ira excandeſcens febri continua corripitur: vocati tres Medici cum ſexto die ſub veſperam, poſtquam vrina illo die toto nihil fluxiſſet, riguiſſetque; iſchouriam veriti omnimodo mictioni movendæ incumbunt, ſed fruſtra: qua de re domum egreſſi valde anxii, erat enim in primaria eccleſiaſtica dignitate conſtitutus æger: cum præ foribus inter ſe con-

conferrent, caſum mihi forte prætereunti narrant. Dixi conſulerent Hippocratem, negantibus eum ſe habere, & ſi haberent vix dignaturos legere, cum raro vel nunquam ejus ſcriptionibus hoc ævo, vel morbi vel eorum criſes reſpondeant. Græcis ſcripſiſſe Hippocratem & ſuo ſæculo viventibus, ſi nobiſcum viveret, alia ſcripturum. Fateor inquam qui à priſcorum vivendi ratione omnino deſcivimus etiam morbis parum ab illis variantibus conflictari, multiſque noſtrum dicturum Galenum quod ſcripſit lib. 1.de ſanitate tuenda: *Nec Germanis nec aliis id genus agreſtibus ſua ſe documenta prodere, non magis quam Apris & Urſis, ſed Græcis & iis qui eorum æmulantur ſtudia.* Cæterum in hoc ægro ad Galeni & Hippocratis vivendi regulas ſe accommodanti, omnia ex voto ceſſura ſi divinis eorum ſcriptis ſe accommodarent: ſicque valere & altum dormire juſſos, dimiſi. Die ſeptimo etiam tum reſtitante urina deliravit æger, pejus habuit, ut & octavo, cerebro nimirum acribus urinæ vaporibus percuſſo. Die nona cum necdum lotium excerneret, ad conſilium vocor, viſa lingua ſcabra, nigerrima & fiſſa, pulſuque tremulo & undoſo obſervato,

to, brevi convellendum, & non multo poſt moriturum præſagio. Adſtantibus quibuſdam doctiſſimis Theologis cauſamque præſagii ſciſcitantibus, reſpondi cum ſexto die riguiſſet æger poſt omnimodam urinæ retentionem, naturam die ſeptimo criſim per ſudores copioſos veriſimiliter facturam fuiſſe, niſi vi alio per diuretica divertiſſet: Nunc ſero à corporis peripheria quo ipſum natura ducebat, funeſta anadrome ad cerebrum tranſlato, convulſionem & convulſioni ſubſequam mortem evitari non poſſe. Nam etſi nunc urina copioſe flueret, tantam tamen cerebro malignitatem à tranſlato ad ipſum lotio impreſſam, ut in corpore tam debili medicamentis expugnari non poſſit. Obiit ille phanaticus, convulſionibus maximis tortus, die morbi undecimo exeunte, qui ſi urinalia remedia adhibita non fuiſſent, die ſeptimo natura alio non diverſa copioſo ſudore morbo defungi poterat. Scribit Hipp. 6. epid. ſect. 1. Ante rigorem ſuppreſſio eſt urinæ, ſiquidem è bonis ducatur. Explicationem pete à Dureti Commentario in 5. coacam. lib. 1. & in primam coacam ſub titulo de ſudore, lib. 3. & ab ejus diſcipulo Heurnio in notis ad aphoriſmum 82. ſect. 4.

Si-

Similis Hippocratici textus deſpectus alteri Canonico exitum maturavit, tractabatur à duobus Medicis febre lenta dudum tabeſcens: Nihil proficientes ad aſinini lactis uſum deveniunt, nec ſic rebus melius euntibus, accerſor ut ſæpe alias in re deſperata. Invenio hominem in balneo egelido lac bibentem. Dico manifeſtarium committi errorem: ſerio enim præſcribere Hipp. lib. 3. victus in acutis tex. 55. *Neque potu neque cibo ſaturatum, lavare æquum eſt. &* 56. *Nec ſorbendum nec bibendum ilico à balneo.* Quid nobis cum tuo Hippocrate inquit alter: Ideo in balneo, & paulo ante balneum lactis uſum ineo, ut facilius rapiatur in habitum corporis, ſicque melius excarnem & exſuccum recreet. Erras inquam toto cœlo, id enim quod ex alvo in venas, & habitum trahetur corporis, crudum erit, ideoque in rorem vel gluten non abibit, proinde nec ægram recreabit vel nutriet, cum mitificatum non fuerit. Et vis attractrix calore excitato, mitificandi occaſione præpedita, plethoricis cauſis caput replebit, unde nova catharrorum in pectus iturorum ſeges. Balneum ergo lactis, aut cujuſvis alimenti ſumptionem toto quadrihorio

præcedat aux ſequatur, ſi Hipp. boniſque credes interpretibus. Cum fidem mihi non haberi animadverterem, nihilque fauſti ominarer, libens volens male ceſſuram praxim illis reliqui. Cæterum æger novo catharri jam ferocientis adlapſu, thorace diſtento & viribus fractis, cum laterum muſculi exſputioni non ſufficerent, paucis poſt diebus vitam cum morte mutavit. Multa hic de erroribus circa balnea dici poſſent: maxime Germanorum, qui & in patria, & in Gallia, ac Italia, vel ſtudiorum vel curioſitatis ergo agentes, totos dies in balneis inter vina & cibos comeſſabundi ſepeliunt. Sed qui non audituris concionatur: Non profecturis littora bubus arat.

Iuvenis quædam matrona febri maligna correpta, ſub diem ſeptimam papulis omnino cooperta, toto triduo nihil inde opis ſentiens, quod ſane ſive quantitatem ſive qualitatum ſpectes, erant enim boni moris & coloris, factum oportuit. Vndecimo die in narium hæmorrhagiam tantam incidit, ut eſſent Medici qui ſupra novem libras effluxiſſe adſeverarent: unde cum ſæpe animo linqueretur, aliquoties pro mortua à Medicis habita. Die duodecima cum

cum jam melius habere videretur, & in vado rem ægrè tres dicerent Medici, juſculum reſtaurans propinant, bonum quidem, ſed viribus ejus ſtomachoque potentius; à cujus ſumptione acutiſſima rurſum febre corripitur, cum delirio, convulſione, tremoribus. Mox hæmorrhoidibus in ano valde tumentibus applicitæ hirudines nullo cum ægræ commodo, etſi multum fæculenti cruoris eduxiſſent. Itaque ab omnibus deſperata Medicis cum prognoſtico, non viſuram proximam auroram, inter eccleſiaſticorum manus relicta, cum media nocte curioſior quidam viveretne exploraturus, manum ori admovit, quam cum motis leviſſime labiis lamberet, ille ſtrophium vino madens ad poſuit; quod cum illa ſuxiſſet, ubi nil erat ſpei nil deſperandum ratus, vitrum vini trium unciarum capax exhibet, quo illa ſumpto placide dormivit; nec multo poſt cum copioſo ſudore tota maderet, levius habuit; tandemque præter omnium Medicorum ſpem convaluit. Ita ut veriſſimum probarit illud Hippoc. ſect. 2. Aphoris. 19. *Acutorum morborum non omnino, certæ aut ſine dubio ſunt interitus aut ſalutis prædectiones*; maxime fido marito atque adſtanti-

 bus

bus ſerio officium facientibus, quod ſane hic fiebat. Hic notate ſemper ægræ huic conſtrictiſſe reſpirationem, nec ulli breviſpiram, aut tardiſpiram viſam, ita ut ex eo ſolo ſigno judicari potuiſſet evaſura, cæterum convulſiones poſt tantam hæmorrhagiam, & tremores & lipothymiæ crebræ, cum tribus natu maximis Medicis deſperationem attuliſſent, alios eadem opinione imbuerunt. Ægra etiamnum vivit ſana, niſi quod aliquando nephritidis & hæmorrhoidum moleſtiam, quam facile diſcutit, patitur; Interim ter peperit.

Anno ſuperiore, quadragenarius quidam temperamento melancholicus, & olim ante annos decem à mania à me percuratus. Maniacus aureum mihi annulum detraxerat, eumque dentibus complicatum, quod fieri potuiſſe negabant aurifabri, in ignem conjectum combuſſerat, ut nullum vel auri, vel gemmæ ramentum appareret. Hic nunc epidemio igne correptus, die ſeptimo cum meliori criſi quam ullus aliorum febre ſolutus, à me alioque Medico pro ſano relictus. Nono poſt die revocor, acute febrientem offendo; tres ſyrup. roſar. ſimpl. uncias præſcribo, quibus cum quinquies alvum depoſuiſſet, melius habuit.

Po-

Poſtridie in urina ſedimina laudabilia, libere ſpirabat, potu poſſethi, ſic vulgo Angli ſerum lactis pari cerviſiæ dulcis non lupulatæ, Alam vocant, pari quantitate remixtum & ſitim ſedaverat. Die recidivæ quinto cum de dolore circa lienis regionem quereretur, fotu ſtatim ſedatus eſt; ſuccum limonum recentem potui miſcuit, ſecuta nox placida, mane urinæ & multæ & optimæ, poſt copioſum horarum aliquot in ſomno ſudorem, miſſionem altero petente medico, videbatur enim rurſus à febri liberrimus, cum caſu à prandio tranſirem, ab uxore ad ægrum ductus ſine reſpiratione & pulſu, ſudore madentem frigido circa cervicem & thoracem invenio, ephidroſin illam lethalem cenſens, jubeo ſtatim extrema properari Sacramenta; quibus munitus, teſtamento condito intra horam deceſſit. Summo mane miſi qui rogaret ſinerent me anatome tam inopinæ mortis cauſam ſcrutari. Sed jam nocte media uxor cadaver Tungros miſerat, patrio ſepulcro inferendum. Sine dubio malignitas hunc extinxit.

Annis ab hinc octodecim puella in Auretana regione ſynochum paſſa, die decimo quarto in hæmorrhagiam in-

cidit largiſſimam: cui non vocato Medico, cum id ſerio tamen mandaſſem, ſiſtendæ, anum adhibent quæ eductos ex pyxide pilos nigros criſpos naribus admovet, dictoque citius ſanguinem ſtitit. Sed eodem nomine, tota facies in tantum ſurrexit molem, ut ſphæræ quam faciei eſſet ſimilior: puella ſenſu motuque apoplecticæ inſtar privatur: fauces aſperaque arteria grumoſo ſanguine fartæ, brancho & ſtertore clangoſo adſtantes terrebant; qui tam repentinam mirati metaſtaſim formoſæque puellæ deformitatem enormem, medicum revocant. Statim dixi, impeditam à natura criſim arte reſarciendam, ſanguinem male ab ignorante vetula coercitum, debere eadem quam natura monſtrarat via fluere; aut quia hoc amoto etiam periapto non ſuccedebat, brachii primum, dein & ſaphenarum venas pertunderent. His laxe depletis, ſenſum motumque recuperavit. Poſtridie toto corpore applicitæ cucurbitæ cum ſcarificatione, unde mortem quæ jam fauces ejus prehenderat, evaſit: foribus demum & ſuffimigiis faciei forma rediit. Et hic docetur Medicus Naturæ miniſter, motum naturæ, Dominæ ſuæ obſervare, nihil

ea operante temere mutare, niſi ut vel effrænem frænet, vel ut pigriorem excitet. Nota hós pilos ab omnibus è pube fuiſſe judicatos, & memini me olim videre Germanos Chirurgos caſtrenſes, qui iiſdem crinibus, & ferocientem in Eriſypelate bilem, & exilientem ex vulnere aut naribus cruorem, ſubito compeſcerent. Sed credo hoc pacto diabolico, potius quam pilorum virtuti tribuendum. Nota 2. quod Chirurgi illi dicebant, curæ virorum, admovendos pilos mulieris pectini avulſos, & contra muliebres affectus, non niſi maſculis crinibus emendari; quod & ipſum ſuperſtitioni affine eſt.

Observatio VI.

Ex affectibus qui videbantur leves vel nulli, imaginationis vitio mortui.

CAnonicus quidam S. Pauli, ætatis anno vigeſimo ante octennium menſe Junio, cum pluribus menſibus moleſta laboraſſet ſcabie, febre corripitur continua. Vocatus initio Medicus, ſanguinem mitti jubet, cæteraque ex artis præſcripto ordinat: die quarto erumpunt variolæ & plurimæ, & omnes

corporis partes, quod mirum poſt tam longam ſcabiem, occupantes. Cæterum, cum lentius ſe ſurrigerent, die ſexto quo prius ad illum acceſſi cum Carolo Ogero collega, lapidis bezoardici data grana 12. à cujus tertia ſumptione, exſpectationi & voto Medicorum reſpondebant. Die ſeptima rogat æger Medicos ut extremam ſibi unctionem, utpote certo certius morituro præſcriberent; negantibus Medicis, credentibuſque omnia in melius itura, imo ego & plures dies victurum & evaſurum credebam; cum nihil mali quicquam portenderet, niſi quod urinæ eſſent albæ & tenues, & ſediminis expertes, conſtantibus omnibus facultatibus, reſpiratione nondum impedita; quinta poſt abitum noſtrum hora, facultate vitali præter omnium expectationem, ſubito collapſa, adſidentibus non advertentibus, alibantarum numerum aucturus exſpiravit. Ex eo tempore nunquam petentibus extremam unctionem, etſi fælicem morbi exitum qui & ſuccedebat, præſagirem negandam vel differendam duxi. Cæterum hunc ægrum imaginationis ſuæ vitio è vivis ſublatum, quotquot illum viderunt medici, certis nixi conjecturis & rationibus ſibi perſuaſerunt.

Il-

Illuſtris Domina ex primaria Galliæ familia originem trahens; Comiti Illuſtriſſimo in agro Leodienſi nupta cum quater fæliciſſime,& ſaniſſimas proles quæ etiamnum vivunt, peperiſſet, primo quo quintum uterum ferre ſe ſenſit die; indubie ſe illo partu morituram prædixit; itaque deinceps vixit, ac ſi ab ipſo Deo mortis ſibi dictatam diem, quam præterire nequiret accepiſſet; pietatis opera quibus à pueritia præter aulæ cui innutriebatur morem, ſerio vacaverat, in horas auget, cum maritum ultimæ ſuæ voluntatis tabellas ut ſcribendas curaret, rogaſſet, ab illo accitus octavo geſtationis menſe cum cætera ſaniſſimam inveniſſem, injecto uno alteroque clyſtere, quos illa more ſuæ gentis libentiſſime admittebat, dedi ter in die conſervam borraginis cum confectione Alkermes & de hyacyntho. omnibus juſculis imponebam tartarum, ſpecies lætitiæ Galeni, diarhodonis hepatis; cum faſciculo herbarum melancholiam fugare aptarum, quo abjecto, pulverem cum jure ſorbebat. Iiſdem pulveribus cum ſeminibus aniſi, fœniculi, coriandri, cornu cervi præparati, margaritiſque aliiſque flatuum generationem prohibere, genitoſque expel-

expellere aptis utebatur cum corticibus citri poſt paſtum. Cum nec ſic proficerem hæmorrhoides ficulneorum foliorum ſucco cyclaminis madentium frictu, fæliciter provocavi, nec ſic voti compos, tandem imaginationis læſæ cauſſam, quam ſemper celaverat extorſi. Genethliacus inquit Noſtradami diſcipulus mihi virgini prædixit quinto partu moriendum. quæ cauſſa fuit cur à tot illuſtribus ſollicitata procis, nuptias in trigeſimum quintum annum diſtulerim. Memini inquam cum ante viginti octo annos Lutetiæ medicinam facerem circumlatos hos verſiculos, cum in lucem Noſtrâdami centuriæ prodiiſſent.

Noſtradamus cum verba damus, nam fallere noſtrum eſt.
Et cum verba damus, nihil niſi Noſtradamus

Nihil Noſtradamo mendacius, ideoque centuriæ illæ, ſummi parlamenti juſſu, tardipedi Deo dicatæ, impoſita multâ, qui vel eas venderent vel emerent. Cum multa de vanitate Aſtrologiæ illius judiciariæ, & ex Pico Mirandula, & ex Barclaii Argenide, quam & Gallice ipſi legendam dedi, diſſerniſſem, nullo cum profectu, miſſionem ab

Illu-

Illuſtrimo Comite petii, recitans illi Græcum verſiculum qui ita latine olim à me verſus eſt.

Ægrentes animas, nil niſi ſermo levat.
Vocaret itaque omiſſis Medicis, & in tam maturo fætu generoſioribus remediis uti non auſuris, Theologos; quorum ipſa conſuetudine, maxime Patrum Societatis plurimum delectabatur, induceret. Me digreſſo exeunte octavo ingravidationis menſe, cum in cœna ſolito minus ediſſet, bibiſſetque; marito ſui amantiſſimo accubans, nihil vel illo, vel pediſſequis in eodem cubili jacentibus quicquam advertente, ante auroram à marito mortua inventa eſt, adhuc calens, & à rudioribus etiam vivere, credita. Vocatus citatiſſimo equo, ut ad pueri exſectionem convolarem, negavi cum arx Illuſtriſſimi totis ſeptem horis Leodio diſtet, me quicquam profecturum, cum enim ſine reſpiratione nemo vivat, puerque non reſpiret niſi per aërem materna reſpiratione hauſtum, cum mater tot jam horas non reſpirârit, certum eſt miſellum puerulum vita privatum, quam revocare non eſt humanæ opis.

Anno 1604. menſe Septembri, quo primum Trajecti ad moſam medici-

nam

nam facere cœpi, vocatus ad Illuſtrem Virginem inter Nobiles Canonicas degentem, Ictericam, cachecticam, verminoſam, cataminiis olim fluere ſolitis deſtitutam, præmiſſis purgationibus, decoctoque tartari rubiæ tinctorum, mercurialis &c. ſaphenam aperui. Dolorem capitis qui maxime in querela erat, cum unguento alabaſtrino cum opio non ceſſiſſet, oxyrrhodino cum ſucco ſempervivi miſto, expugnavi. Tandem exhibito Monſpelienſium ad pallidos colores pulvere, quem Schyronii vocant, menſes copioſe provocavi, quibus fluentibus, icterus & cachexia brevi ceſſere. Formula pulveris quem ſæpe fidum expertus ſum eſt hæc. R. rubiæ ſeſquidragmam, ſabinæ muſcerdę ana ſcriptulum, croci ſcriptulum ſemis, lumbricorum vino lotorum & uſtorum dragmam (ego vermibus illis, quos ſuſpectos jam tum habebam boracem ſubſtitui) macis, foliorum lauri ana ſemidragmam, ſpecierum aromatici roſati ſcriptulum, limati chalybis dragmas tres radicum ænulæ dragmam; ſaccari duplum omnium. Doſis, dragma cum vino albo dulci. Cum ſic ultra bimeſtre commodiſſima frueretur valetudine, incunte Decembri,

bri, cum de capitis dolore conquereretur, domeſtici ipſam morbum ſingere credentes primum decimo octavo menſis die, ad illam me vocant: ſtatim cum alvum ſexto jam die ſui immemorem, clyſtere excitandam dico, negat ſe ullis egere medicamentis, fatalem ſuum diem eſſe præforibus, nolle ſe inutilibus remediis propediem ſepeliendum corpus fagitare; dixiſſe Cingaram ante finem anni vivere deſituram. Roganti ut probatæ jam apud ſe fidei Medici, plus quam vaniſſimis Cingaris crederet, imo etſi moriendum eſſet, caveret ne pervicacia ſua mortem ſibi vel cauſſaſſe, vel propius admoviſſe crederetur, admiſit tandem & clyſterem, & poſt illum lene medicamentum, unde levius habuit: vigeſimo ſub veſperam, cum mori crederetur, balbutiret haliſmode jactu ſe concuteret; ſecui cephalicam, parum exierat ſanguinis, cum illa & optime loqui, & pleraque ſigna bona exhibuit: 22. veſtem uſſit, lectum perminxit, non remedia tantum ſed & eſculenta potulentaque reſpuit certa mori, rogavi ut ad mentem rediret, ſtultæ nomen vitaret, matulam poſceret; paruit, nec ad mortem uſque quicquam quod ſtultitiam ſaperet, aut dixit

dixit aut fecit, ſequentibus diebus litu capitis, & ſternumentis ſpontinis levato capite melius habere ſe dixit; 26. narium hæmorrhagia ultro oborta multum levatam ſe adſeruit, 27. in ſomno placido parum ſtertuit, reſpiratione, voce & mente poſt ſomnum omnino conſtantibus, 28. cum mane hora octava ſanior omnibus videretur, me intuita vultu nidenti & ridenti, vale inquit, invitoque, præſentibus multis Nobilibus puellis, ſuavium panxit, validis ſtringens collum meum brachiis, labiaque labiis limans, tribus poſt horis ſomno ſe dedit, à quo nunquam evigilavit; à prandio enim valere eam vivereque putans, cum lectum accederem, ſopitam dicunt pediſſequæ, at ego primo tactu jam dudum mortuam deprehendi. Vide quid imaginationis vis poſſit, quæ pulcherrimam nobiliſſimamque virginem in primo flore tumulavit.

Observatio VII.

Circa penem rara ſymptomata.

AUriga quidam ſenex tantam penis in imum ventrem retractionem paſſus eſt, ut nec hilum quod ullo ſen-

ſenſu percipi poſſet, extaret. Inter pubem & ſcrotum rimula viſendam ſe præbebat, vulvulæ labiis deſtitutæ, aut rictui piſcium quorundam ſimillima, minimum meum digitum aliquouſque nullo negotio admittebat; rogavi quid me vellet; ſi nihil aliud inquit, fac ne urinam emittendo, quod ſine moleſtia ſolitis horis facio, induſium caligaſque, ita madefaciam, & urinam aliquo ſaltem uſque ejaculer, ut inviſo hoc madore & omnis meæ ſupellectilis putrefactione liberer. Facillimum factu inquam. Itaque tubum ligneum in principio ovalem ſeſquipedem longum, quem ex Italia attuleram ipſi dono, quo rimulæ applicito in diſtantem matulam nullo negotio urinam fundebat: Itali cum citatis equis feruntur, quia latera equorum veredariorum, crebris calcarium ictibus callum obduxerunt, ſcuticis fere utuntur; quibus manubrium quale meum erat admovent; ſicque in medio curſu nec braccos nec equos madefacientes, mejunt. Cæterum cum ulterius quid tentandum dicerem, qui credebam ſicut alias uteros prolapſos in ſinum pudoris capacibus cucurbitis umbilico applicitis cum luculenta flamma revocaveram, ita iiſdem retrahi

hi in locum penem poſſe, proclivius enim eſſe gravia deſcendere quam adſcenderit. Omnino bis cucurbitarum adpoſitionem admiſit, & jam balani redituri apex ad magnitudinem avellanæ ſe oſtendebat, cum ille ſuo tubulo contentum diceret, nec ulterius operam meam quamvis, gratuitam admittere voluit. Dolui ſane ſenilem pervicaciam, tam raram curationem quam certiſſimam augurabar mihi invidiſſe

Quidam quinquaginta quinque annos natus, de penis depravata erectione conqueritur ? Flectebatur enim in modum cornu inverſi, hypogaſtrium verſus examinatus penis, ſub medium, digito cis glandem nodum exhibet, parvæ avellanæ ſimilem, pertinacem, non vagum, ſed fixum. varia variorum medicamenta admoverat, adſtringentia maxime, ad formam Julii Cæſaris Aurantii, & poſt illum Euſtachii Rudii : ſed nullo cum profectu : Viduus ſterilitatem metuens, heredis tamen cupidus, ad ſecundas nuptias tranſire non audebat, quibuſdam ſuadentibus, D. Carolo Ogero non diſſuadente, me auſpice jecit aleam vel potius lanuvinos. atque manente ad finem vitæ affectu, *triplici prole maſcula*, etiamnum ſuper-

ſuperſtite familiam auxit, contra Lovanienſium Profeſſorum, aliorumque opinionem.

Alius paulo majoris ætatis, philologis, philiſophos, ac medicis artibus inſtructus, repente lunari ſibi colem ſentit quoties arrigeret, nodus caſtanea craſſior & durior ita ſurſum verſus mediam regionem occupans penem curvabat, ut poſt arrectionem mingens, thoracem ſupra cingulum urinam aſpergeret. Ille, ut valebat judicio, cum primum metueret ne Heraclii Imperatoris exemplum ſecutus, qui niſi tabulam imo ventri quoties meieret opponeret, faciem ſuam permingebat uti ſcribit Zonaras Annalium tomo tertio. addens hoc ei accidiſſe creditum ob inceſtum cum fratris filia coitum. Ubi nota obiter aniles ſuperſtitiones nulli unquam ſæculo defuiſſe; & forte numquam defore. primum cenſuit mictionem differendam dum penis flacceſceret, quod in illa ætate factu facillimum. Dein cum totam glandem in unum latus manifeſte torqueri videret, à medicamentis abſtinendum judicavit, hanc inde commoditatem ſperans, quod uxorem certo poſitu iniens recta in dextram matricis partem ſemen ejaculatus,

tus, maſculam prolem ſperare poſſet cum prius filiabus tantum familiam auxiſſet, & revera ſucceſſit; proximo enim triennio duorum filiorum pater fuit, plurium ut puto futurus, niſi ſexageſimus annus veneris ipſi imbecillitatem ne an tædium attuliſſet. Itaque præſidiis omnibus Medicis neglectis, naturæ rem committit. Hoc mirum, in languido pene neque curvitatis, neque duritiei etiam à curioſiſſimis ullo ſenſu deprehendi quicquam potuiſſe, cum tamen in tumenti, utrumque quam in capreæ cornu conſpicuum magis eſſet. Solone flatu tamdiu & lunari & dureſcere res tam mollis poteſt? Sin autem vel ligamenta, venas vel arterias, callus aliquis inſedit quomodo oculos, quomodo tactum & patientis & medicorum, eludit, nec ulla ratione deprehenditur, niſi cum tumidum cornu, durius inguen erit.

Vidi puer puerum doctiſſimi Lovanienſis Medici filium, qui cum glande imperforata natus eſſet, urinam emittebat per foramen in fine glandis à natura ſagace factum; mortuus eſt ille quinquagenario major, in Societate Jeſu Sacerdos doctus & ipſe Medicus, nihil aliud præter mictionis incommoditatem paſſus.

Vidi

Vidi in Spa Senem Illuſtrem & in amſſima Eccleſiaſtica dignitate conſtitum, cui cum calculus colem ingreſſus illâ arte eximi poſſet, glans ad pollicis laudinem ſecari debuit; educto calculo, olebam vulneris labiis callo duratis, foraen apertum relinqui, ut aliis forte ſecuris exitum præberet; negante Chiruro, cui plurimum patiens fidebat, mictionis difficultatem, quam monſtrato ſilano gneo qui ad manus erat, vitari poſſe oendebam, veritus, claudi vulnus paſſus eſt. Cæterum ſequenti anno novo alculo eundem meatum obſidente nova nolienda fuit ſectio; Tum ſero fide mihi abita apertum ſervatum vulnus, per quod etiam dum hæc ſcribo, in Spa enim quotannis redit, etiam hoc anno, calcuos vel integros, vel gruis roſtro fractos eduximus, optimo Sene cætera ſano.

Doctiſſimus Carolus Ogerus narrat mihi, patri ſuo nonagenario proximo, idem omnino obveniſſe, tantaque ipſum illa ætate fuiſſe & corporis & animi conſtantia, ut glande ſub medium duodecimæ ſciſſa, hora duodecima convivas præſentes tanquam nihil paſſus exciperet, atque more patrio pro-

M pinan-

pinantibus etiam cottabi ſono lepide reſponderet, pœnituit & ipſum vulneris poſt primam ſectionem ad cicatricem perducti. novo enim opus fuit etiam ipſi.

Vidi duos fere ſexagenarios corneam illam penis diſtorſionem paſſos, quam primus deſcripſit quod ſciam Aurantius, qui & decoctis vel ſtillatitiis aquis adſtringentibus Aurantii brevi convaluerunt. Non putavi illud remedium hic adſcribendum, cum & Aurantium paſſim proſtet: & ejus formulas deſcribat curioſiſſimus Schenchius, obſervationum libro quarto, obſervatione quarta decima, qui in omnium manibus vel ſunt, vel eſſe debent.

Bis mea manu præputium ſecui, in iis qui coitu glandem nudare non poterant. In alio verrucas quas in ima glande amputavi, quarum maxima ſexaginta quinque capitella, manifeſta, ſive verrucas minores oſtentabat; hæ ex impuro concubitu natæ, non niſi poſt diætam illi morbo debitam, omnino extirpari potuerunt. Verruca illa juglande major, omnem illi etiam cum latiſſimis coeundi poteſtatem tollebat. Qua ablata jam tertiam uxorem duxit, atque ex omnibus ſoboles ſuſcepit, etſi

duæ

duæ ultimæ vel virgines, vel pro talibus habitæ fuerint.

Vidi qui cum in imperforata diu valida latera exercuiſſet juvenis decimum quintum annum agens, ad illam diem impollutus veneriſque neſcius, glandis inflationem maximam & lucidam, quam Lutetiæ Cryſtallinam vocant incurrit, cum inſano penis dolore. Huic immiſſo per patentem præputii hiatum cicutæ folio leviter digitis trito, ſedatus brevi dolor, eodemque repetito tumor omnino diſcuſſus eſt, quod poſtea ſæpius expertus in ſecretis habui ad hanc diem.

Observatio VIII.

Puella novennis à veneficio percurata.

NOnum agens annum puellula formæ pulchritudine, generis claritate, morum modeſtia nulli ſuarum Civium ſecunda, à venefica ſtipem petente, cui panem primum, deinde & cerviſiam rogata dederat, folio acetoſiæ donata, vix illud incauta deglutivit; cum doloribus ſtatim alvinis torqueri, toto corpore primum contremiſcere, dein & convelli, demum animo linqui,

& ut mortua cadere cæpit. Vocati Medicus & Medica (nam Trajecti ad Moſam ubi res contigit Anno Chriſti 1625. menſe Maio, etiam ſequior ſexus medicinam facit) tentatis vulgaribus remediis, cum per multos dies, nihil proficerent, & interim filiola creberrimis paroxyſmis laceſſeretur, ut fert mos patriæ, ad Exorciſtas itur. Capucinus Sacerdos officio illi delectus, vix rituali libro manum admoverat, cum filia male à Diabolo vexata in formas, quas qui oculo non vidit, animo ægre concipiet, corpus rotare, dein vomere cœpit ſtercora equina; acus, aciculas, pilos, plumas, fili glomeres, vitrea feneſtrarum fragmenta, clavos rotis bigarum vel quadrigarum eductos, cultrum ferreum, ſpitama longiorem, ovorum putamina, conchilia. Obſervant interim parentes filiæ & vicini, quod quamprimum venefica ædibus veneficiatæ appropinquaret, aut eminus etiam à ducentis paſſibus domum verſus oculos torqueret, miſeram puellam longe pejus vexari, nec ullo modo à paroxyſmo liberari, aut vitæ ſignum edere, donec illa longiſſime à domo abeſſet. Capitur itaque venefica, & hoc & alia infinita veneficia faſſa, ignibus laqueo

ſtran-

ſtrangulata pœnas dedit. Rogata à Patre Jeſuita ipſam ad ſupplicium conſolationis ergo in agone ultimo, & momento à quo pendet æternitas, comitante, cum jam laqueum collo aptaret carnifex, ut puellæ veneficium ſolveret, negavit ſe poſſe eo quod poſt datum veneficium, quatuor temporum, quos vocamus dies, interceſſiſſent. filiam etſi ſuum ipſa ſcelus deſtrueret, non tam cito convalituram: duas enim alias quas nominabat ſagas, etiam ſua ipſi lethalia dediſſe pharmaca, à quibus ægre nec niſi multo poſt tempore expediri poſſet. Itaque ut in re deſperata, parens ad me ducit filiam medio Septembri, quam ego aliquot ſeptimanas penes me habui. Quæ tum viderim, audiverim tetigerim quia ſcio fore, ut multos inveniant Medicos, maxime à Pontificia fide alienos, incredulos & fidem narrationi meæ non habituros, Ita me amet Deus ut veriſſime ſcribam quæ vidi. Poſtridie quam domum meam veniſſet infœlix puella Patrem Capucinum Modeſtum, qui etiamnum Leodii vivit, accerſendum curavi; Illo quinquageſimo adhuc paſſu à cubili meo diſtante; concidit exanimis puella, credebam mortuam, cum ne tranſpiratione quidem vivere ſe teſtare-

 ſtare-

ſtaretur. Manuum pedumque digiti, quod niſi vidiſſem & tetigiſſem, ægre crederem, ſic erant vel torti, vel convulſi, ut extimus, ſeu tertius articulus ſecundo ita hæreret, quod ſane naturaliter vix fieri poteſt, ut arctiſſimo glutine aut viſco in unum coaluiſſe viderentur; Tentavi acum auream crinalem interponere, idem expertus ſum clavo ferreo, fuſo ligneo; fruſtra candente ferro ultimis diebus nihilo plus profectum. Mater viſo puellæ caſu, nec enim unquam vel uno paſſu ab illa aberat, Capucinos jamjam adfore dixit: Dictum, factum. adhuc illa loquente pulſantur fores. Ingreſſis Capucinis, accenſo cereo benedicto; veſtitus ſacris indumentis exorciſta cum prima exorciſmi recitavit verba ex Evangeliis petita: puella quæ huc uſque omni cadavere immobilior jacuerat, toto corpore tam vehementer concuti, manente tamen eodem omnino ſitu digitorum manuum pedumque; ut à nobis ſex contineri nullo modo poſſet. Ego qui caput ſummo conatu continere conabar, me invitiſſimo, ipſum cum collo, ſcapulas verſus torqueri, opiſthotanoſa convulſione, viſu tactuque obſervabam. Imus interim venter, in altam

elatus

:latus molem, modo gutturi vicinior e-
rat, quam femoribus; tanto cum ſtrepi-
tu, & inteſtinorum borborygmo, ut ul-
tra decimum paſſum ab omnibus exaudi-
retur. Simillimus autem erat hic ſtrepitus
illi, quem ſub navium prora, aqua ventis
concita, fluctuanſque excitat. Interim
aliqua ſupradictorum puella evomit. Mi-
ſertus filiæ rogavi exorciſtam, lectionem
differret. Vix ultimam protulerat ſylla-
bam, cum ut prius, momento citius, quie-
tiſſima jaceret. Ipſo deinde domum egreſ-
ſo, & aliquo uſque progreſſo, puella digitis
explicitis, apertis oculis ſtatim ſurrexit,
cumque parum fleviſſet, matremque quod
Capucinos quamquam ſibi nec viſos nec
ut dicebat auditos domum vocaverat, o-
bjurgaſſet, ſtatim cum coævis ceu nihil
paſſa luſit, bibit, comedit; donec redeun-
te ad officium Capucino eadem pateretur.
Vidi interim, ejici multas plumas, faſciculos
ſtraminis pollice meo craſſiores, tranſver-
ſis aciculis confixos; ligulas ex filo textas,
variis coloribus diſtinctas: Quaternionem
denique acicularum cæruleæ chartæ in-
fixarum, ſicut in proxenetarum offici-
nis proſtant, integerrimum & jamjam
empto ſimillimum: denique omnia u
M 4 ajebat

aiebat innocens pupula, quæ in veneficæ corbe, cum mendicaret, viderat, quod ſane Diabolyſmum ſapit, captumque omnium Philoſophorum excedit. Qua enim vi quæ in ſporta ſingula viderat, tanto numero aucta, in ima ejus viſcera agi potuerunt Diabolo non operante? Cæterum cum omnia ſicciſſima nec hilum madentia exſpuerentur, dicebam ego Capucinis aliiſque qui aderant, Philoſophis, vocabam enim plures diſcendi cupidus, oculos noſtros faſcinari; atque hæc non à corpore educi, qui enim ſine ſanguine tot aciculis pungentibus fieri poterat? quo modo non ſolvit continuum acutiſſimus culter per anguſta puerilium faucium tranſiens; ſed à cacodæmone, nobis illudente aliunde petita, è primis filiæ labiis in manus meas mitti, meque Ovidii verſum ad hanc diem mihi non intellectum, jam longe intricatiorem experiri. Is eſt in epiſtola Hypſipyles ad Jaſonem, cum ait,

Devovet abſentes ſimulachraque cerea fingit
Et miſerum tenues in jecur urget acus.

De Medea trivenefica ſcribens. Sed hunc mihi nodum ipſa puella, ut erat diſputantibus mixta, & ingenio ſupra

ætatem

ętatem fœlici, expedivit. Ne dubitate in-
quit quin hæc ex imo mihi ducantur cor-
pore, ſtatimque manum meam apprehen-
ſam faucibus ſuis admovit, ſentias inquit
aciculam ſine capite aſcendentem, brevi-
que exituram; ſenſi, moxque arctiſſimis
ſiniſtræ manus digitis aciculam in gutture
tenere me credens; vi illam eripi mihi per-
cepi, ſtatimque viſa puella in ſputum pronâ,
dextra manu acum excipio, quam adhuc
multis monſtratam incredulis, cum ligu-
lis, plumis, filis, ſtramine, aliiſque, curioſis
oſtenſurus ſervo. eodem modo alias ſæpi-
us, in ipſo adhuc ventriculi orificio, ligula-
rum principium tetigi illiſque adſcenden-
tibus & per os exituris, omnes quos ea cura
tangebat in mediis faucibus, ligulæ finem
comprehenſum tenere ſe poſſe putabant,
cacodæmone conatus eorum ludente.
Cum Leodii aliquot ſeptimanis nihil pro-
feciſſent exorciſmi, matrem religio inceſſit
ducendi filiam ſuum, ad ſacellum Divæ
Virgini ſacrum, nuperrime ſtructum, jam-
que miraculis celebre creditum vulgo. Ibi
dum novendiali ſacra vacant, & mater,
& qui illam comitabantur amici, quo-
die animam confeſſione expiatam ſacra
ſynaxi reficientes, dum nihil ſe profi-

cere obſervant, puellam prioribus malis nulla ex parte levatam, inſuper non dico Hydrophobam, ſed nygrophobam, domum meam mœſti, & ſpei jam caſſi, filiæque mortem quod & ipſa faciebat ſuperos orantes reducunt. Rediit ad me, adoleſcente jam Autumno, non vinum tantum, cerviſiam, hydromeli, aquam omnem faſtidiens, ſed & carnes elixas, & panem jure vel vino maceratum, tandem & panem ſiligineum & frumentaceum, credo quod hic lacte, ille aqua ſubactus eſſet more noſtro. Itaque totis quadraginta diebus ſolis pomis, uvis paſſis, nucibus, amygdalis aliiſque fructibus horariis ea tempeſtate veſcis vitam ſuſtentavit, nec tamen interea roſeo genarum rubori, aut lacteæ frontis nivi quicquam deceſſit. demum totis quindecim diebus & noctibus nec cibi nec potionis quicquam adſumpſit. Quomodo tot dies jugi inedia, imbibeſiaque tranſegerit, neſcire me fateor; rem ita ſe habere, ſancte adſevero, & mecum omnes domeſtici conceptiſſimis verbis illud jurabant. Die ſedecimo cum potum ultro petiiſſet bibiſſetque, cibos non amplius reſpuit, ad naturalia medicamenta non omiſſis ſacris exorciſmis redeundum

ratus,

ratus, paravi illi decoctum ex fuga Dæmonum, abrotano, artemiſia, verbena, callitricho, Rorida, aliiſque quæ veneficiorum vim retundere poſſe creduntur, ſicque potui iſti aliquo modo aſſuetam, domum remiſi. Interim excuſſis omnibus quos reperire erat libris, in Bartholomæi Charrichteri Secreta incidi, qui cap. 12. lib. 2. medicamentum deſcribit huic malo idoneum. Hoc cum in epiſtolis medicinalibus Horſtii epiſt. 1. ſect. vij. in litteris Hectoris Schlandii Medici Wormatienſis ad Gregorium Horſtium, anno 1612. datis valde commendatum legiſſem, & ad ipſum, & ad pharmacopæos Francofurtenſes, in quorum officinis illud proſtare ſcribit, litteras dedi, & unguentum, & ejus deſcriptionem quantolibet vellent pretio redempturus. Cum ab illis nihil reſponſi acciperem, & interim ſaluti puellæ nocturnis diurniſque cogitationibus vacarem, Charrichtero in manus reſumpto; eoque ob Typographi vitium (expreſſit enim holtzbletterbeer) una voce, quod tribus conſtat; ægrius intellecto, ſero tandem, quia materia ad manum non erat, expleto fere anno, unguentum hoc concinandum curavi. Ejus hæc eſt de-

ſcriptio R. Adipis canis bene liquati, & mundati uncias quatuor, adipis urſi uncias octo, caponis uncias viginti quatuor, tres truncos viſci colurni adhuc virentis; fruſtratim ſectos, & tuſos dum humeſcant, contunde autem ſimul, lignum, folia, baccas, miſce omnia in phiala, quam ſoli novem ſeptimanis cum expoſueris, virentem balſamum extrahes, eoque veneficiatorum corpora loca maxime dolentia & juncturas inungendo certo experimento curabis, ut de hac puella conſtat, quæ jam à triennio integerrima fruitur valetudine, niſi quod ipſis quatuor temporum diebus, quicquid agat, melancholia quadam fugaci, corripitur. Quæ cauſſa fuit cur deſcriptionem hanc ab aliis celatam, à Charrictero non niſi Germanice, & vitioſe editam, publicæ utilitati latinis litteris ſincere donarem.

Hic notate 1. in corylo non naſci viſcum niſi poſt annum centeſimum ut mihi adſeruit Nobiliſſ. Dominus Drimborn toparcha in Doorwiis in agro Juliacenſi, (& ſcribunt omnes non niſi in annoſis quercubus viſcum inveniri) qui ex ſua arbore ejus copiam mihi fecit 2. Colurnum viſcum epilepticis, aliiſque capitis affectibus obnoxiis:

quer-

quernolonge utiliorem, quæ communis
eſt Chymicorum aliorumque experimen-
tatorum opinio, atque ego id ſæpe jam ex-
pertus ſum, nec alio deinceps dum poſſum
viſcoutor.

OBSERVATIO IX.

Sexagenarius ſumptis pro Aphrodiſiaſtico, cantharidibus, prope funeratus, ſanatur.

SExagenarius mercator viduus, male intellectis Græci epigramatophori in Anthologia verſibus, quos ego ſic latio donavi.

Qui capit uxorem defuncta uxore ſecundam,
Naufragus in dubio bis natat ille freto.

Bruxellæ uxore mediæ ætatis ducta, ut ſe virum quod annorum vitio eſſe deſinebat, oſtenderet, domum reverſus, Apothecarium Nonagenario proximum adit, qui quia toto quinquennio Conſtantinopoli in familia Augerii Busbequii Cæſarei Legati vixerat, multaque ex Turcia ut pote ſimplicium peritiſſimus attulerat, inſuper fratres haberet., unum arte Medica, alterum Chirurgia celebres, maximi tum, ex pluris quam Medicinæ Doctores, fiebat: ab hoc cum auxilium petiiſſet, cantharides, neſcio cui ſyrupo mixtas, accepit,

his devoratis, uxori accubans, tentigine primum, deinde inſano pruritu corripitur; mox vertigine capitis affectus, parum cohærentia & ſemidelira, infelix vetulus amator loquitur: ſicque noctem æternitate ut mane dicebat, longiorem ſibi viſam tranſigit; Cum autem ſub auroram ſanguinem mingeret purum, ſtranguriæque non tolerandis lancinaretur ardoribus, ſub crepuſculum me accerſit; viſa urina ſanguinea, & intellectis ſymptomatibus, facile fuit in cantharidum ſuſpicionem venire. Itaque cum duodecim à ſumptione horæ tranſiſſent, certus venenum ventriculi regionem egreſſum, omiſſo vomitum ciendi conſilio, clyſterem ſtatim emollientem & refrigerantem, addita caſſia, injiciendum curo. Dein vaſculum cum lacte cui nympheam aliaque frigida incoxeram, aptaſſem peni, ut clamabat ardenti lae capacioribus cum ingeſſiſſem poculis, utrique conjugum (nam & uxor male uncta & mariti clamoribus vexata, nullum tota nocte ſomnum oculis acceperat) Soporiferam Nicolai Requiem, cum ſeminum frigidorum majorum & papaveris ac juſquiami alborum, emulſione propino; ſicque dormire & valere juſſos dimitto, capo-

ponis jure, roſis, violis, acetoſa, nymphea, portulaca, ſantalis. limonum, berberorum ſucco medicato, in mariti prandium, ſi tamen evigilaverit, præſcripto, à prandio ſub veſperam, ægrum repetito clyſtere inteſtina ablutum, calentis aquæ balneo cui refrigerantia & anodina incoxeram mergendum lavandumque curo, uſſumque veſperi, niſi ſponte ſomnus obreperet, ſomniferam potionem repetere, aut dormiturus Theriacam deglutiret, ſicque meliora ſperare jubeo. Poſtridie leni medicamento elota ſuperioris alvi illuvie, veſperique depletis leniori clyſterio inteſtinis, melius habuit. Reddita mane Theriaca, ut ſi quid venenatæ qualitatis veſtigium ſupereſſet eluerem. Monui ne tanti, tantulam voluptatem, vel potius pœnitentiam emeret. Diaſatyrione vulgari, vel à perito Medico emendato uteretur, paſtinaca, ejuſque ſemine cribrato in juſculis carnium, cum nucleis pini, & piſtachiis, gallorumque criſtis, & reſtibus veſceretur, eruris dentem imprimeret. Foris autem unguentum, quod Chymiſtæ audacificans vocant, illineret pubi & perinæo, (Hoc illi ex ovis formicarum ipſiſque formicis cum alas ſibi induerunt, cum oleo puto de eu-

euphorbio, vel pyrethro, vel petroleo, tritis concinnant) aut ſane biberet olei ex pini nucleis non rancidis recens extracti unciam, cum muſci granis aliquot. Vere autem proximo mumiam Satyrionis per Chymicum aliquem conficiendam curaret. Hanc Cæſarei quidam, & Regii Medici, nuperis Imperatoribus & Regibus multo in uſu delitiiſque fuiſſe mihi adfirmarunt in Spa, ægreque precibus & pretio domiti, velut pluſquam Eleuſinium Myſterium crediderunt. Ego illis jam vita functis jurisjurandi religione abſolutum me credens publico impertiam, non ut quiſquam eo ad nequitiam abutatur, ſed eum humori radicali fovendo, viribuſque recreandis, aptiſſimum ſit remedium, ut habeant ſenes, quo vires cadivas fugientemque retineant animam. Formula hæc eſt. Ineunte Vere, vel Autumno medio, aut exeunte, hoc eſt floribus foliiſque, vel nondum natis vel deciduis, radices ſatyrii collectas aquæ puræ injice, duobus quibus conſtant orbiculis divulſis; quotquot aquæ innaverint, ut inutiles abjice: quæ fundum petierint, contunde in mortario lapideo pilo ligneo, ſenſim micam panis albiſſimi & recentiſſimi, addendo; & propter lento-
ris

ıs dilutionem, affunde) hoc Paracelſum
cculuiſſe dicebant) ſpiritum vini è mal-
atico extractum, irrorando paulatim
ıaviſſime: Dein optime mixta pone in
lembico cœco,clauſaque digere in balneo
er ſex ſeptimanas. Tum prælo exprime;
xpreſſum iterum per menſem digere in
lembico. Innabit liquor rubini æmulus,
umque eo de colore certans. Hunc incli-
ando caute collige, abjectiſque fæcibus,
uique ſelibræ adde ſalis margaritarum un-
ıam ſemis,olei nuci muſcatæ,aniſi, cinna-
ıomi ſingulorum ſemidragmam. Doſis
uttæ aliquot in vino,juſculo,vel conſerva
ɔr roborante. Impotentibus & de quibus
'oeta Juvenalis prophetavit, cum dixit.

Jacet exiguus cum ramice nervus,
Et quamvis tota palpetur nocte, jacebit.

Vicenas guttas propinabis, ſic ſi diis
lacet arrigent, quod ſane quibuſdam fæ-
citer ceſſit hic, qui Solonis illud apud
.aertium, puer adhuc, animo & ore, ſæ-
e agitavi;

Perpetuo diſcens plurima, fio Senex.

Duo libenter docerer à doctioribus;
rimum cur Cantharides veſicam ſo-
ım ex interioribus viſceribus lædant.
'idi nobilem & formoſiſſimam puel-
lam

lam in magna illa peſte Londinenſi anno 1603. quæ in hebdomadas ſingulas quatuor circiter millia tumulo inferebat, extinctis quinque præcipuis Medicis, & inter alios Thoma Mouffeto mei amantiſſimo, in mediam peſtem conjectus; cui cum unguuntem ab empirico, collo ubi bubo erat peſtilens, applicitum eſſet, quod multas recipiebat Cantharides, ipſa poſtridie mane convulſa, & immiſericorditer cruciata interiit, poſt quam urina ſanguinea matulas aliquoit impleſſet. Certo etiam conſtat, ut multi practicorum adſerunt, venenatas illas muſcas, in manu chiroteca munita geſtatas, item capiti impoſitas, ſanguineam cauſſaſſe mictionem, quod ipſe in praxi obſervavi. Dicent aliqui ad occultas hoc referendum proprietates. At quid intereſt, ad hoc ignorantiæ aſylum confugere? Nonne malim me hominem, hoc eſt plurimarum rerum inſcium fateri? revera enim, etiam qui docti habentur, potius ſunt extra ignorantiam, quam cum ſolida ſcientia. Alterum, quid ſibi velit Galenus cum lib. 2. de Antidotis, & xj. ſimpl. libro ſcribit, cantharides proprio veneno & remedium & antidotum eſſe, *ſi earum pedes & alæ trita*, in eclegmate cum

cum melle ſumantur. Hoc & Ætius lib. 13. cap. 49. ex eo tranſcripſit. Sancte enim Senex pharmacopola jurabat, ſe præter alas nihil Seni amatori, ex cantharidibus dediſſe. Mihi tutius videtur poſt ardorem extinctum, terra lemnia, Theriacaque & Mithridatis antidoto corpus munire. Sicut cantharidum venenum, etſi de ſcorpionibus hoc credant Itali, cantharidibus ut credam pelli poſſe, nondum adducor. Eodem modo nec probo conſilium vel vulgi vel medicorum, verminoſis pueris, vermes vino lotos, in tegula ſiccatos exhibentium; certo enim mihi perſuadeo experientia edoctus, materiam illam vermium putrem, putri puerorum pituitæ remixtam, à magno illorum calore iterum animari. ut videmus muſcas ſubmerſas multis diebus mortuas, ſi non premantur, ſed ſimpliciter extinguantur, Soli denuo expoſitas, novo calore iterum vitam volatumque, ut & pediculorum pelles in puerilibus capitibus & veſtibus relictas, amiſſam inter ungues & pectinem animam recuperare. Niſi cantharides, earum virulentiam ſæpe expertus, peſte pejus odiſſem, earumque uſum omnem etiam in veſicantibus penitus ejeraſſem, de modo illas

illas in uſum vocandi hîc diſputarem. Sed de eo, qui illis periculoſe utuntur, viderint. Suum cuique de cantharidibus judicium relinquens non ignarus à multis etiam magnis Medicis, in veſicantibus illas probari. Langius ſane lib. 10. epiſt. 47. valde eas improbat, & cum eo mecum multi ex doctioribus.

Libet obiter ſubtexere duas hiſtorias prætactæ affines, ſed exitu diſſimillimas. Sexagenarius mercator ducta poſt conjugis mortem ancilla ſua, & juvene, & bella; cum primæ noctis maximam partem inter ſolida gaudia conſumpſiſſet, mane à ſomno ſatis longo, ſed inſomniis turbatiſſimo evigilans, omnino deliravit, fatuiſſimus ſine febre tamen, obſcœniſſima, & quæ in moreto nullus leno tuliſſet, effutiebat: Mirantibus in modeſto hactenus homine tantam linguæ petulantiam amicis, accerſor. cum præter conſueta inſtaurantia elect. pleres archon, confectionem alkermes duplicatis moſcho & ambra dediſſem, alto & placido ſomno hominem ſopivi, à quo recreatus & corporis & animi vires recuperavit, ignariſſimus ante ineptiarum, aut certe ita prudenter eas diſſimulans, ut quicquid temporis

in

ı amentia conſumpſerat; ſomnio impu-
ıret, me libentiſſime aliiſque applauden-
bus. Alter quadragenarius nobilis, ducta
irgine ſuæ ſortis, inter uxorios amplexus
poplexia corripitur, in arce duodecimo
Leodio miliari, vocor die morbi quinto.
ım Deo ipſa nocte quam pervigilem
ɔud ipſum duxi, Apoplexiam diſcuſſi;
'aralyſin quæ illam excepit validiſſimis
ſus medicaminibus ſudorem urinamque
entibus medio Aprili, applicitis etiam li-
bus ex oleis cum aqua catarrhali perfecte
ıſum reſtituiſſe viſus, die duodecima do-
ıum redii. Ille ad furias reverſus, in uxo-
s ſinu, nec ipſa advertente dulci morte
ɜriit. Hoc mortis genus Panthalonus in
'omœdia vocabat *la morte del grillo in ſulbu-*
, ſubjiciebat zani ma non cantava. Sermo
·at de Ioviano Pontano Poeta.

OBSERVATIO X.

mpotentiæ in Illuſtribus Juvenibus, & viris incurabiles.

'Lluſtris quidam Nobilis, apud aviam
·delicioſe alitus, cum puellis nobili-
us anui famulantibus cubabat. Illæ ſa-
laces

laces & timoris Dei oblitæ, vix decennis pueruli contrectant genitalia, tequuntur. *Quorum animus meminiſſe horret, refugitque pudore; Ad qua charta rubet, qua ſcribere penna recuſat.* Sub decimum ſextum ætatis annum, in Gallias cum Pædagogo & famulitio mittitur, illis imbuendus artibus quas qui neſciunt, in aulis Principum, inter Nobiles, nullo ſunt loco. Illic à ſociis ad Lupas ductus, infirmitatis ſuæ conſcius, nunquam enim vel tantillum arrigebat; ſicula quæ alias cornu durior fuerat, betis etiam tenerioribus, languidius pendente, quantum poterat, eas vitabat; interdum ut ſociorum riſum redimeret, mendacem meretricum confeſſionem pretio emebat. Interim Pariſienſium & Aurelianenſium Medicorum opera, ſed nihil profutura, utebatur. Tertio poſt anno è Galliis redux ſequenti æſtate ad me Spadam venit, rogans num ab his aquis, impotentiæ arrigendi, medelam ſperare poſſet. Dum pudenda ejus ut fit examino, ad minimum colis tactum, cæterum ſine ullo ſenſu, aut pruritu, aut tenſione membri, ſemen imbelle & aqueum, lactique quam ſemini ſimilius, excernit. Mirante me, adfirmabat

ſe

ſe ſæpius noctu diuque, excretionem illam pati, quoties vel micturus manum admoveret, vel viciniam titillantem, induſio aut linteamine fricaturus, leniſſimo tactu penem libaret, ita ut ſæpius mutanda ipſi eſſent induſia, niſi ſordes & inviſam humiditatem vellet pati. Suaſi ut quando, quod ait Hippocrates, oculi plus vident oculo, ingenſque tum eſſet Spadæ Illuſtrium Medicorum copia, mecum optimos quoſque ad conſilium vocaret. Convenimus novem, omnes Regii vel Palatini Principum Medici; tentatis etiam generoſiſſimis nullo ſucceſſu remediis; unanimi conſenſu ad thermas Aquenſes mittitur, ſtillicidio earum uſurus, potuque & fotu, non omiſſis unguentis & emplaſtris poſt aquas; nec his quicquam proficientibus, Spadam rediit, conſilia noſtra ſcripto dari ſibi petiit, quibus inſtructus, Germaniam univerſam, Galliam, Italiam, Hiſpaniam, Angliam peragravit: ubique Medicos conſuluit doctrina vel experientia celebres, omnibus conſilia noſtra, ne eadem fruſtra admoverent, oſtendit: mulierculas etiam, & ſagas non neglexit; tandem in Britannia ad filium interrupto ordine ſeptimum, omnium humani corporis affe-

affectuum, certam curationem pollicentem perductus; etiam illo nihilum juvante; jam certus omnia medicamenta, Medicoſque negligere, ſexennio poſt ad me Spadam rediit, multis comitibus lateronibus, equo juxta pedibuſque ipſi famulantibus, ſtipatus. Hic à fonte redeuntis humerum, blando poppyſmate pulſans, Salve, inquit, Medicorum quos offendi veraciſſime. Miratus quid vellet homo mihi jam nec facie, nec nomine notus, tam inuſitata ſalutatione. Diu enim eſt, quod omnium aures calent ſceleroſo hoc dicto, ſceleſti illius de ſcientiarum vanitate ſcriptoris, qui cum Theologos, & peritos Jure (ſcientes enim Juris negat) fœdiſſimis lutulaſſet titulis, ne Medici inhonori diſcederent; hoc illos donat elogio: Medicorum eſt honeſte veſtiri, ſtrenue mentiri, audacter occidere: Capovaccianum etiam illud multis in ore eſt, Medicos ſemper mentiri. Huc ſciolus quidam torquebat illud Virgilii, in decimo magni operis,

Ille poteſtates herbarum artemque medendi.
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

Recte inquit, Medicus cum ſine mendacio vix loqui de arte ſua poſſit, mutas artes inglorius agitat. Hoc tamen, ut

t verbo dicam, non artis ſed artificum itio fit, nam plerique Medici ſive Jaſoes non tam Medeæ, quam pecudis aueæ gratia, vela faciunt, aut certe Meeam ſeu curam medicam, non propter ſam, ſed propter vellus aureum, quo er ipſam fruentur, amant, qua de re onſulendi Mythologi, & maxime Natas Comes. Demum revocata mihi homiis ut nobilitate, ita litteris & urbanitate ximii memoria. Quod, tandem ajo, verum dentium tuorum ſeptum effugit. Seone hæc amico? Ego vero, inquit, maxie ſerio. Tu hoc in loco de ſtirpe & poteris ſollicito, ſuadebas; mihi ipſe (quod æreditate tam ampla jam adita in proclivi rat) hæres eſſem; annuos fructus lepide um congerronibus conſumerem, cætera ffinium alicui, in nomen & inſignia mea, acile hac mercede tranſituro, relinqueem. A Medicis maxime crumenimulgis, & pretium re vixdum tentata, nedum peacta petentibus, tanquam à Cingaris, aut Scythis caverem. Credidi tibi, omiſſis qui non ſcroto meo, ſed ſcorteæ ſuæ crumenæ medicinam faciebant; poſteritatis jam ſecurus, cum hoc quem vides comitatu, orbem aulaſque pererro, ſero tibi credens,

cum diceres, veriſſime dicere *Gallos*, *Tempre Cheval*, *tempre Carogne*. *Etiam Ariſtoteli*, *& Theophraſto*, plantas præcoquo fructu turgentes cito emori. Imo plantæ, quæ vel ſpeculis, vel phialis vitreis aqua repletis, adverſo ſoli oppoſitis cito fructificare jubentur, vix triennio durant. Me in ætate tam tenera, ſucco illo ſanguineque emulctem, vaſis ſpermaticis omnino viribus ablatis, non debere poſt hac virilitatem ſperare: à tanta enim privatione ad novum habitum viam negari. Sed hac de re in prandio, cui ſerio ut interſis rogo, latius.

Illuſtris quidam Anglus quos Mylordos, hoc eſt Dominos per excellentiam nominant, Spadam venit ante annos quindecim, impotentiæ remedium quærens: ad vetulas aut quæ alias peperiſſent facile arrigebat, eaſque inibat, ſed virgineo clauſtro perfringendo impar; quia ad primum labiorum contactum ſemen emittebat, ſed imbelle & prorſus aqueum & ſero ſimillimum, uxorem duxerat annos natam ſedecim, ſed quam toto biennio etiam ſe fatente non devirginarat, optimi erat habitus, corpore procero, euſarcos, genis rubentiſſimis, equitatione, venatione,

ne, ſaltu, tripudiis nulli ſuorum ſecundus; ab illo conſultus, ſuaſi duos doctiſſimos Anglos Medicos qui tum in Spa erant, Illuſtrem & Genoroſum Dominum Paddii, Equitem & Medicum Regis magnæ Britanniæ, & Richardum Andr oes mecum in conſilium adhiberet. Cum ab inviro extorſiſſem, dixi, quando in corpore tam ſano impotentiæ aliam cauſſam non invenirem, videri mihi illum inteſtini recti ulcere laborare; indeque paraſtatas, aliaque ſemini præparando, & ejaculando neceſſaria vaſa, putri aura in horas afflata ſemen generare, quod longæ tenſioni colis, & florido coitui non ſufficeret. Mirantibus illis hanc me adferre cauſſam, dixi me olim in Italia, caſum illum vidiſſe; & meminiſſe idem mihi lectum in Marcello Donato in hiſtoria de re Medica memorabili. Mox encolpiſmon ex ſolo melle concinnatum ipſis videntibus imponi curo, ſtatimque multo pure craſſo oblitum reduci. Iniicio deinde per clyſteris ſyringam muriam, à qua cum poſt aliquot injectiones, mundato ſcilicet ulcere valde dolere ſe diceret, adſentientibus collegis, cenſui curato illo ulcere ipſum ſanatum iri. Vocatus Chirurgus, dixit ſe medio

primum digito, deinde & indice nullo negotio ulcus, & magnum & profundum ſentire. cui cum medicamenta adhiberentur manifeſto proficientia, fælicemque; ſucceſſum omnino pollicentia, ipſe cum aliis qui in Spa multi erant Illuſtribus, in Aulam Heidelbergenſem, ad Principis ſuæ nuptias evocatus, neglecta quod factum non oportuit cura, eo conceſſit. Sequenti anno Leodium ad me venit exeunte Majo, ſed tum de ulcere dubitatio ceſſabat: tria enim fiſtuloſa, in utraque nate unum, tertium in perinæo omnium ſe oculis objiciebant. dixi ſectione opus eſſe, cui faciendæ filo arſenico imbuto, nihil convenientius ſcirem; eſſe hic Chirurgos operi illi ſuffecturos: rogavit Lovanium ſecum, cum Fieno eximio Medicinæ Profeſſore communicaturus, concedederem. feci. Fieno idem mecum ſentiente, dixit ſe nulli Chirurgo corpus ſuum crediturum niſi Parienſi, Lutetiam enim totam Chironis familiam migraſſe putabat; irem ſecum Pariſios, ſe quadraginta dierum mercedem, Nobilem roſatum in dies ſingulos, Antverpia mihi conſignaturum. Negavi me illo tempore à Spa abeſſe poſſe qui Illuſtribus fidem dederam, me ipſis to-

to

o Julio vacaturum. Rediret mecum in
ipa, potis aquis, ſanguine perpurgato,
ælicius ſectionem ceſſuram. Quo recu-
ante, Lutetiamque properante, ad
neos redii. Sequenti anno ex fratre intel-
exi, ipſum Lutetia nihilo quam eo iverat
aniorem, rediiſſe; itaque ab uxore in jus
ocatum, cum ea divortium facere coa-
tum, præter dotem neſcio quam aliam
ecuniæ ſummam, ex lege patriæ nume-
are debuiſſe. Hoc ille ulcus inunctione
ydrargyri, & multarum pilarum mercu-
alium crebra ſumptione, ab inepto Chi-
urgo tractatus, contraxerat. Balſamus
uo ulcus in Spa percurabatur, quando à
e inventus & ſemper cum optimo ſuc-
eſſu uſurpatus, reticendus mihi non vi-
etur. Sumo florum ſthapſi, hyperici,
l. prunellæ ana Mj. hos incoquo, olei ex
mine hypericonis torculari expreſſi, &
ni rubri veteris pari quantitati, ad vini
animodam exhalationem, hoc eſt dum
quoris gutta igni injecta ſine ullo ſtrido-
flammam concipit, eoque ſolo ſi præ-
ns urgeat neceſſitas, utor: alioqui eoſ-
m flores ſæpius immacero, & poſt qua-
aginta dierum inſolationem, aut ignis
orem, iterum exprimo, quod quo ſæpius

 facio,

facio, efficacius multo oleum comperio, cui remiſceo lapidem calaminarem, ſepties vino, demum in hoc oleo poſt ignitionem, extinctum.

Anno 1623. Alius Illuſtris Mylordus in Spa venit diurnis pollutionibus, cum tentigine & voluptatis manifeſto ſenſu, & minima quavis ſe offerente coitus, ab aſpectu vel auditu imaginatione, jam a ſexennio vexatus, onirogmi interim omnino expers, vel certe rariſſime illi obnoxius, conjugali tamen debito ſolvendo parum aptus, imo pene ineptus. Conſultus etiam D. Carolus Ogerus, cenſuit immediatam cauſſam efficientem eſſe vaſorum ſemen ejaculantium, facultatem excretricem irritatam, forti coitus imaginatione adjutam. Materialem vero cauſſam immediatam, eſſe materiam quandam ſeminalem aut ſi mavis feminiformem, copia flatuque turgentem, & irritantem. Copioſa erat flatulentaque, ratione materiæ cujuſdam dulcis, à partibus ſuperioribus, & præcipue à capite ad vaſa ſpermatica ſenſim repens, quæ cum diuturno affluxu debilitata eſſent, materiam & crudore, & copia vitiatam, perficere nequibant. Argumentum hujus aſſertionis etiam me judice evi-

videns, quod erat homo quadragenarius el eo major, habitus omnino pituitoſi, orpore obeſo, aqualiculo prominente, leo materia quam ejaculabatur pituitæ uam ſemini elaborato ſimilior; Cerebro iam tunc, & ſtomacho erat juſto humiore, crebroque phyaliſmo obnoxius, quod ab eo tempore quo hoc affectu epit excruciari, vel numquam vel certe riſſime defluxionibus, quas ante moleſtiſſimas ſæpe patiebatur, tentatus. Gras viſus affectus, & ſenſim graviorum alorum autor futurus: diſſipatis enim m crebro ſpiritibus animalibus materiæ e excrementitiæ perenni generatione, m & memoriæ jam partem abolitam, & teriorum ſenſuum manifeſtam hebetuem fateretur, merito graviora ſympmata timeri poterant. Curationem iamquam difficilem, ſuccedere tamen ſſe ſpes erat potis aquis Spadenſibus, quę viter & ſiccant & ſtringunt. Bibit totas hebdomadas purgato prius corpore, etæque tenaciſſimus, cum exiguo tamen nolumento. Diſcedenti in patriam, ſuam cum ad ſuos perveniſſet decocto chi, corticis ſaſſafras, & guajacinæ ſcobis è edio trunco, aut ſaltem à cortice remo-

tioris uteretur, adderet quæ ventriculum calfacerent, cerebrum ſiccarent, victuſque rationem ſervaret optimam. De ſucceſſu, quando quod facturum ſe receperat non reſcripſit, non conſtat.

Observatio XI.

In corde vulneratorum Hiſtoriæ non vulgares.

FRatres duo inimico obviam facti; uterque ſclopet ictu eum lædit; Minor natu thoracem duobus globis tranſverberat; Alter pila in brachium ſiniſtrum adacta totum os comminuit ſub finem muſculi deltoidis, tota carne ita lacerata, ut non niſi extima cute, vix duos digitos lata, brachium reliquo corpori adhæreret. Die poſt vulnera quinto, duo Medici, totidemque Chirurgi vocati, ut de ictu brachii ſententiam ferrent, lethalem cenſerent necne. Omnibus, quia gangræna jam humero tenus omnia occupaverat, mortalem eſſe brachii læſionem adfirmantibus, quia Leodii lex eſt, ut pluribus unum lædentibus, eorum aliquo cædis vel lethalis vulneris reum ſe fatente, alii pœnæ eximantur: Præ-

Præfectus loci, ſenioris hæreditatem in Brabantia ſitam luculentam ſane & maximi pretii fiſco addicit; tertia ut moris eſt parte ſibi ſervata. Septimo poſt ictus die, moritur æger; tum ex officio, utpote D D. Scabinorum Medicus juratus, accitus, alios, ut in re mominis maximi, decem advoco Medicos, multoſque Chirurgos; Thorace aperto, baſim cordis, ejuſque conum cum inſigni laceratione tranſverberatum, globis duobus offendimus: Itaque unanimes reclamantibus aliquandiu qui primæ viſitationi interfuerant, concluſimus ictus cordis primario & per ſe, brachii autem, ſecundario tantum & per accidens mortis cauſſam attuliſſe. Sicque primogeniti hæreditatem tantum non à vulturibus ſpe abſorptam, ſervavimus. Mirantibus quomodo ad ſeptimæ diei finem, corde tam graviter læſo vitam produxiſſet, oſtendi Commentarium in Aphoriſmum decimum octavum, ſectionis ſextæ, qui it, *ſola cordis ſubſtantia læſa, ſi ad ventriculus vulnus non penetret; aliquot dies poſſe ægros vivere, dum phlegmone ſuperveniente abriantur.*

Vidi alium cui quaternos bombarda lobulos quidam medium cor trajecerat,

rat, ad quintum diem ſupervixiſſe. Cum ante viginti novem annos Monſpelii ex Italia redux aliquandiu hærerem, anatomes ſtudio, quod tum ibi florebat intentus, Medicinæ quidam candidatus arteriarum motui curioſe noſcendo addictus, cani vivo thoracem aperuit; cum motum cordis arteriarumque, magna cum admiratione diu læti ſpectaſſemus, videamus inquit quouſque cor vulnerari vivo animante poſſit, moxque raſorio decuſſatim cordis conum findit, ad duorum & amplius digitorum altitudinem, deinde canem ſcalæ adligatum vinculis expedit, qui cum inſano latratu, manus noſtras lapideſque quibus eum petebamus fugiens, ad herilem domum recurrit tanquam nihil paſſus. Quid ei acciderit, ruſticorum inſaniam veriti reſcire numquam potuimus; Decreveramus enim experiri, curamne admitteret: Vidi enim Felicem Platerum Baſileæ ante triginta duos annos cor porci domi ſuæ mactati in anatomicum theatrum afferentem, oſtendiſſe bacillum acutum, puerilem digitum minorem longitudine æquantem, in cor dicti porci adactum. Examinatus ſcroſipaſcus, quando tereti bacillo quo porcos agebat,

ictum

ictum hunc inflixiſſet, pluſquam ſemeſtre eſſe reſpondit. Vixit hic tandiu porcus, non diu poſt ſi lanium evaſiſſet, victurus; totum enim hepar veſicis aqua flava plenis, refertiſſimum eodem tempore oſtendit Platerus; Sicque brevi hydrope interiturum adſervit.

Ephippiarius quidam Leodienſis, è lupanari domum rediens, uxori gravidæ pomum offert. illa conſcia unde veniret, Da inquit pomum illud meretrici cui affectus mihi debitos dediſti. Iratus ille per dextram papillam pugionem miſeræ in cor adigit. Accerſor hora ſecunda poſt medinoctium; viſo vulnere & ſymptomatibus, jubeo illam omnibus Sacramentis muniri, vicinamque mortem prædicens, ordinato ...antum limonum ſucco, ſiti levandæ, qua ...alde premebatur, cum cerviſia miſcendo, ...d lectum redeo; ſub meridiem diei ſe...uentis cum exſpiraſſet, amici ephippiarii, ... aſſinem pœnæ ſubducerent, ſpargunt ...lidum à me datum læſæ pharmacum, in... illam abortiviſſe, & exſpiraſſe. Scabini re...dita me accerſunt, juſſis vocari inimiciſ...is mihi Medicis & chirurgis, imum ven...m primum aperio, embryonem maſcu...n omnibus ſtupore attonitis oſtendo in

matrice ſua hærentem: Dein thorace aperto, ex vulnere cordis omnibus mortuam adſeverantibus, embryone ſudario meo clanculum involutum, famulo domum meam ferendum trado. Quem ſtatim vino Hiſpano incoxi, demptiſque omnibus carnibus, oſſicula, ichthyocolla, & filis argenteis ita conferruminavi, ut nihil illo ſceleto integrius videri poſſet: culullo deinde cryſtallino, filis ſulphuratis ut ſolent Chymici ſecto, ſupra infraque appoſitis laminis argenteis ternos leones ſingulas geſtantibus, cum Bavaricæ domus inſignibus; in medio ſceleton ita aptavi, ut undequaque integerrimum ab omnibus videri poſſet: adjunctiſque paucis qui ſequuntur verſibus, Sereniſſimo meo Principi obtuli, qui illud Monachium patri tranſmiſit, ubi adhuc hodie in thaumaſiotheca illa celeberrima, inter alia rariſſima viſu, oſtenditur. Verſus ſunt hi,

Hic puer (heu pueri tantum ſunt flebilis oſſa)
Patrita ſica, matris confoſſus in alvo,
Nondum aditam poſuit vitæ ſub limine vitam:
Iam victurus erat; nam quarto Cynthia cornu
Exibat, gravide rorans penetralia matris;
Cum Pater haud vino, ſed ſcorti cæcus amore.

Dextram

Dextram tranſadigit, quam debuit ille papillam
Sugere, & hoc ictu natum, matremque trucidat.

Res accidit Anno 1613. 30. Octobris, puericida non multo poſt in latrocinio Bruxellæ deprehenſus, patibulo candidatus, longam ex ſe fecit litteram, Nemeſi ipſum pede non claudo proſequente.

Observatio XII.

Ex minimis ictibus aut vulneribus mortui.

DUobus à rixa colaphis inter ſe certantibus, alterius mater in primo ſenio conſtituta, mediam ſe diremptura pugnam ſiſtit; Illic pugno percuſſa ad os baſilare, ubi ſupercilia ad naſi radicem coëunt, mox apoplectica concidit, mediaque hora citius, mirantibus omnibus, cum in facie nec livor nec tumor ullus appareret, animam egit. De cauſſa mortis controvertentibus Chirurgis, à Scabinis accerſor, dico venulis quibuſdam & arteriis magna contuſione fractis, à validiſſimo enim juvene vapulaverat; pleuxum choroidem ſeu rete admirabile concreto ſanguine opprimi. Statim diducta calva, & cranio

ablato, quod dixeram omnium oculis viſendum ſe præbuit, cum pluſquam tria coagulati ſanguinis cochlearia, arterias illas prementia, notarent. Inde enim apoplexia fortiſſima, & cui ſuccurri non poterat.

Subulcus Spadanus nata inter ſe & Nobilis cujuſdam noſtratis rhedarium contentione die martis ſub veſperam, ſilice in pube percutitur, unde graviter dolens humi aliquandiu jacuit, domum cadente Sole reverſus, parum conqueſtus, lecto ſe commiſit; die mercurii conſuetis vitæ muniis obitis, veſperi de inſano imi ventris dolore querulus, ſub mediam noctem moritur. Die Jovis primo diluculo ad viſitationem vocati, nihil in exteriori cute, quo loco percuſſus erat deprehenſum. Dum in interiora ituri viſcera cutem decuſſatim dividimus, ſtatim per totum thoracem & abdomen proxime ſub epidermide vivos lumbricos, magnos, teretes, ſtrenue ſe montantes obſervamus, fuit qui juraret ſe numeraſſe plures octoginta. In ſectione pergentibus, locumque unde prodierant vermes quærentibus, video vulnuſculum in colo, quodque ipſum tegebat peritonæo, eo ipſo loco qui ictui reſpondebat; dilatata

vicinia,

vicinia, prodit ex vulnere lumbricus caput
antum exſerens; quo meis digitis educto,
ecuti mox plures alii. Quæſtio fuit, à ver-
nibuſne ſolutio illa continui facta eſſet an-
e ſilicis jactum; opinionibus variantibus,
enſui in illa vermium, & putris materiæ
nde naſcebantur abundantia, neceſſario
nagno flatu diſtenta fuiſſe inteſtina, ideo-
ue ab illato ictu facile crepuiſſe; & jam
ulneris labia livebant, gangrænamque ſi
gro vita ſuppetiſſet, minabantur, veriſi-
nilius tamen apparet, quod etiam cenſuit
). Ogerus, ab eroſione ulcus, quam à
ollìſione manaſſe. Inſaniſſimus enim ille
olor, qui miſerum in exitium præcipita-
it, vermibus potius, interanea rodentibus
uam cauſſæ contundenti adſcribendus
idetur. In eadem ſententia fuit D. Richar-
us Andròes Anglus, qui tum Spadæ erat.
iſcator in cerviſiaria taberna cum ſociis
otans, poculo lapideo in capite feritur;
lutio continui nulla, tumor cutis exi-
uus, quo litu oleorum à Chirurgo bre-
i diſcuſſo; piſcator ad ſcapham ſuam, &
oſt ad compotationem rediens, non
nulto poſt febre correptus fatis con-
edit, qui percuſſerat cædis male inſi-
nulatus, capitur, carceri mandatur, ſu-
pra

pra extincti ſarcophagum ex more patriæ decollandus. Venitur ad apertionem cadaveris, in capite, & cis & citra calvariam omnia ſaniſſima, nec ullum læſionis veſtigium. Aperto thorace, pulmonis lobum dextrum pure refertiſſimum, quantus erat, deprehendimus. In ſiniſtro quindecim abſceſſus, unguem pollicis æquantes obſervamus, cum ab illis abceſſibus quos à capitis contuſione proceſſiſſe ſiquæ fuiſſet, impoſſibile erat, enecatum piſcatorem jurejurando affirmaremus, compotorem carnificis manibus ereptum, libertati reſtituimus.

Vidi qui anno ætatis quinquageſimo nono, cum ungues ſibi pedum reſecaret, atque ad vivum penetraſſet mox gangræna correptum, non multo poſt interiiſſe, & tamen Hollerius hydropicum quendam illa unguium ad vivum ſectione, morbum mortemque evaſiſſe ſcribit. veriſimile eſt, Hydropicum hunc juvenem fuiſſe atque nimia aquæ quantitate ob febris vel Solis æſtum, ingeſta, hepate nondum læſo, intumuiſſe. Vidi duos Illuſtres unum ſexagenario, alterum ſeptuagenario majores, cum callum pedis amputandum curaſſent, gangrænam quam mox exciperet

peret mors, incurriſſe. Quanquam huic
iam ſine ſectione ſponte eventurum fuiſ-
; puto. Sub idem enim tempus, duo affi-
ium ejus, alter Canonicus Leodienſis, al-
:r in matrimonio vivens, gangrænam di-
iti pedis, poſt ſtuporem longum, ſine ul-
i continui ſolutione paſſi ſunt, qua paula-
m vicinas partes occupante, Canonicus
rus, ut ſibi amputaretur imperans, in ip-
; ſectione egit animam. Alter totis tri-
us ſeptimanis, adhibita maxime aqua vi-
æ, cum aromatibus variis, & ærugine
iſtillata, acetoque acerrimo, fugien-
:m animam diu retinuit, vigeſimo enim
:cundo à gangræna die fratrem fratri,
:u ſomnum morti conjunxit. Hoc ipſo
ie quo hæc ſcribo, vocatus ad ſenem ca-
ularem ſeptuaginta ſeptem annos na-
ım, qui jam cum prima conjuge, quin-
uageſimum quintnm annum in ſterili
ıatrimonio vivit, hactenus ſanus nec ul-
us unquam Medici, vel Chirurgi opera
ſus, invenio hominem ſine febre, pul-
ı quod ſenibus haud familiare, nihil in-
ermittente, & valido; reſpiratio con-
tabat: facultati animali ſi motum ex-
ipias nihil deceſſerat; cibum & potum,
[uia appetitu carere ſe dicebat, reſpue-
bat;

bat; rogavi an carne, eſuriales enim carniſprivii dies nobiſcum agebat, veſci vellet; quod annuente, vervecinam ex vicini ægri domo adferri juſſi: tantillo ſumpto, mox faſtidivit: Curavi quod res erat ſuſpicatus, ſilicernii crura, mihi detegi, offendi dextrum omni nive frigidius, cum tumore ingenti, rubro colore ſaturrimo: prædixi imminere gangrænam; ſub veſperam, ad radicem pollicis ejuſdem pedis nata ſponte veſica juglandem æquans, aqua flava refertiſſima, quæ paulo poſt ſponte ut nata erat, crepuit; poſtridie mane livebant omnes pedis digiti; die tertio, ad medium tarſum mane progreſſa gangræna; reſpiratio minuta; & dormiens & vigilans aperto jacebat ore, (quod funeſtiſſimum dicit Galenus in Commentario 12. primi prognoſticon) incendium internum teſtatus, & tamen potum ſolito plus execrans. Cum vel invito offerrem vinum dilutum, diffluente per labia maxima parte, dilapſi minimum, cum ſtrepitu deglutiebat. Sub veſperam in toto pede nihil ſani, ipſum talum morte jam occupante; pulſus qui hactenus conſtiterat intermiſit ſubito, reſpiratio brevior multo, dixi in illa ætate, natura omnino fe-

riante

ante vel extincta, naturæ miniſtro nihil le quod ageret, conſulerent Animæ votis Religioſis, non viſurum diem ſequentem, ſub crepuſculum matutinum, cum ormire putaretur, *Somno manes aſcendit l altos*, ut pie credimus de viro minime alo. De conſenſu tali ubi omnes nervi ſinunt, cum cerebello unde originem ahunt, multa hic ſcribi poſſent: ſed teri loco reſervamus.

Observatio XIII.

philtro morbus periculoſiſſimus perſanatus.

Uveni honeſto quartum decimum ætatis annum explenti, Juvencula, jam olim miliaris, ruri potum petenti, erat enim itinere laſſus, ſub quartam promeridiam, amatorium pulverem in cerviſia exbuit; dicens levandæ laſſitudini, non iud præſentius remedium. Hauſit ille aviſſime, moxque ſoporatus, totam noctem t fuit per omnem vitam multi-ſomni, ertuit. Mane, & erat octava Reſurrectiois Dominicæ dies, languidus, ac repenti uam ambulanti ſimilior, poſt octo oras vix ſeſquimiliare confecit; quod pri-

pridie horæ ſpatio facile emenſus fuiſſet. Domi lecto ſe committens, vocatis duobus, nec enim tum Leodii plures erant, Medicis, leve pharmacum accipit, à cujus ſumptione hæmorrhagia narium maxima ſecuta, mox & per os, thrombos ovo majores, ut per omnia momenta ſuffocandus videretur, ſcreabat, nec multo poſt, per urinarium alvinumque ſeceſſum, ſanguinem tanta emiſit copia, ut non modo aliquot matulas, ſed & ſitulam capacem impleverit. Medici frictionibus validiſque ligaturis, poſt periapta collo applicita, cum nihil proficerent, ægro jam ſingultiente & convulſo, ut ait ille, *Ceſſere Magiſtri, Phyllirides Chiron Amythaoniuſque Melampus.* Cur aperta vena revulſioni non vacaverint neſcio, res enim accidit, Anno octogeſimo ſeptimo, quo tempore Philoſophiæ vacabam. Amici à Medicis deſperato, cum varia chirurgorum, pharmacopolarumque remedia fruſtra admoviſſent, tandem anus veneficæ opera, ſanguinem ſtiterunt hoc modo. Vetula ægri capiti tres vel quatuor pilos evulſos, cruci ſtramineæ & ipſi piloſæ, quam ſecum attulerat implexos, recitans neſcio quæ verba, audivi enim, ſed non intellexi, nocturno

ɔo pileo adſuit, vix caput tangebat pileus, :um ſtaret ſanguis, illa diſcedens, omiſſis nquit Medicorum cibis & potibus,comede & bibe quod voles ; modo crucem non noveas loco, ab hæmorrhagia tutus eris. Quinto vel ſexto poſt die, æger immani pruritu, & habebat caput Titinnii verbo, pedibus obſitum, vexatus, moleſtiam non ferens, caput utraque manu ſcalpit, icque crucem loco movet : ſtatimque ſanguis, ut prius, undequaque profluxit Chirurgi acciti ligaturis etiam fortioribus olito, brachia, crura, manuum pedumque digitos, tam arcte ſtringunt, ut æger præ dolore lacrumaretur ; ſed quod ait ille n nono Pharſalidos ſuæ, de Tullo ab hæmorrhoide ſerpente demorſo *Sanguis erant lacrumæ.* Imo, ſcribo quod vidi, quod manibus contrectavi, aures jacentis, ceruminis loco, ſanguinem puriſſimum ſudabant, quem auriſcalpio ipſe eduxi. Tam atroci remedio non proficiente, rogante ægro liceret ſibi indolenti mori, ſolvuntur à vicinis miſerantibus vincula, ſanguinis exitu nihilo citius aut ſegnius ſe moviente ; ita ut ab illo tempore, multo poſt medicinam ego faciens, ab illa ligatura vel potius carnificina, ſemper ab-

abhorruerim quicquid omnes practici, ligaturas non experti, ſuadeant. Cum jam de morte, & æger ipſe, & adſtantes pæne ſecuri eſſent, reducitur magnis precibus & pretio Canidia, quæ ſolito veneficio ſanguinem quidem ſtitit; Cæterum miſer juvenis viribus deſtitutus, omnibus animam egiſſe viſus & alibanterum numero adſcriptus, pro more patriæ linteamini inſutus, in ſtramine humi deponitur, aperiuntur omnes feneſtræ, cortinæ, ſtragula, lectus auferuntur, adferuntur, qui cadaver excipiant loculi, cum æger ſolus relictus, ad ſe rediens, dextro brachio è linteamine expedito, menſulæ ſibi adſtanti nixurus, ipſam evertit, & cum illa vaſcula quædam ſamia, vitreaque, quæ neſcio quid unguinum oleorumque continebant, effregit. Unde ſtrepitu facto, qui in inferiori erant cubili, attoniti ſurſum currunt, viſoque mortuo ſedente, ac præ horrore & frigore, tremente, denteſque concutiente, multis fuga dilabentibus, frater quem habebat unicum, in adducto ſtans oſtio, metu ſemimortuus, balbutienſque; viviſne inquit frater; an lemurum quis nobis, te mentitus illudit? vivo inquit, ſed ni mox luculentum ignem excitaveris,

eris, jam certo moriar. Hæc cum tremu-
& ſemineci voce murmuraſſet, in dor-
m concidit, iterum, ut putabatur exani-
is. Illato tandem luculento foco, calefa-
uſque, qui toto quadrihorio, exeunte
prili, quo tempore adhuc algemus quo-
nnis ſtrenue, in ſtramine jacuerat, potum
etit, quo ſemel iterumque recreatus,
lacido ſe dat ſomno, ex quo cum poſt
ultas horas expergiſcitur, ſudore copioſo
erfuſus, pruritum toto copore inſaniſſi-
um ſenſit, mox cruſtis pollicem craſſitie
quantibus totum corpus obducitur. Ita
t extra volas manuum & pedum, nihil
el aciculæ capite tangi poſſet à cruſta li-
erum: Cum interim medicato per epicra-
n juſculo, alvus ipſi moveretur, quatuor-
ecim limaces magnos, rubros, cornutos,
ivos, repentes, uno ſeceſſu ejecit, ab illo
e, quia cruſtæ ipſum nec ſedere, nec jace-
: patiebantur; ſtetit perdius pernoxque
tas ſex hebdomadas, manibus perticæ
aſſiori ab angulo in angulum cubilis ten-
e, admotis. Toto illo temqore aliena
anu cibum potumque capere coa-
tus; ſi quando enim minimum ſe mo-
eret, dolorem tantum non interneci-
um cruſtæ inducebant. Divaricatis
ſtabat

ſtabat cruribus, quæ ſi urina, vel alvinis fæcibus tangerentur, mortem ſibi dolorum remedium ex animo precabatur. Toti corpori obvolvebant linteamen, cremore lactis madens. Siquando dormire cogeretur, veritus ne vel thoracem perticæ admoveret, vel labantibus genubus, muſculorum cruris cruſtæ finderentur, breves ſomnos, ſomniis ſimillimos, inſomnes ſane, captabat. Venit interim Leodium Paracelſicus Ardelio, qui jam ſanari incipienti, nam cruſtarum bona pars, & cum iis omnes pili capitis, manuumque & pedum ungues deciderant, remedium dedit, quod urinis copioſius motis, ſanitatem accelerasſe videretur. Dixit ille tandem, hoc vocari ludum Paracelſi. Et poſt experientia didici, Calculum microcoſmo exectum, non in ludum ſive liquorem verſum, ut ille propinabat, ſed tantum in pulverem comminutum, cum aqua vel ſucco naſturcii aquatici propinatum, philtro potatis, vel erotico amore furentibus multum profuiſſe. Hic Juvenis magnus illa ætate carminifex (Poetam enim à mille annis non vidimus, verſificatores plurimos) & primus in Rhetorica claſſe, à morbo convaleſcens, etiam proprii oblitus nominis

nis fraternique; adeò rerum omnium literarumque rudis fuit, ut nec verbum latinum intelligeret, debuitque alphabetum pſum ut puer doceri. Quod eo mirius, quia nemoria polluerat tam excellenti, ut puer magnæ memoriæ vulgo audiret: & quod Julius Cæſar Dictator de ſe gloriatur, quaternas diverſis eodem tempore dictaret epiſtolas; hic Iuvenis quatuor condiſcipulis diverſa dictabat carmina, ipſe interim quintum ſcribebat. Demum ad ſtudia reverſus, Philoſophiam publice n Germania, Galliaque profeſſus, tandem Medicinæ ſe applicuit, atque etiamnum hoc anno 1630. in patria Medicam artem exercet, nullum ab eo tempore morbum expertus, aut moleſtiam præter catarrhos ſi quando poculis nimium indulſerat, aut cælo nivoſo, Æoli, Ioviſque injurias toto die, rus ad ægros vocatus, paſſus; carybaria, coryzaque vexabatur.

Observatio XIV.

Mulieram aliquot caſus rari.

Vivunt adhuc Leodii mulieres duæ, quæ cum quotannis abortirent, meo conſilio, ter toto geſtationis tem-

O pore

pore, vena ſecta, vitales fœtus ediderunt. Primum menſe tertio, quo fœtus pauco eget alimento, ut qui mediocris pyri magnitudinem vix æquet, tres vel quatuor educebantur unciæ: Dein poſt medium quarti menſis, motante ſe jam embryone, aliæ quinque vel ſex extractæ. Demum ſub finem ſeptimi, tres emiſſæ, mirantibus praxin illam, dicebam, ut exigui in lampade lychni, nimio affuſo oleo extinguuntur, ita pueriles animæ, in ſanguineis matribus nimio alimento ſuffocantur; quod veriſſimum eſſe, etiam maliis, experientia me docuit. Duæ aliæ ſteriles, quia utero erant humidiore, ſemen non retinentes, multamque per pudenda pituitam in dies excernentes, encolpiſmo ex ſolo Mercurialis ſucco concinnato, cum bimeſtri aquas Spadanas bibiſſent, affuſo in primis vitris eodem ſucco, ad uncias duas vel tres, ipſo etiam juſcula ſua in prandio medicantes: & veſperi in lecti ingreſſu ſumpta coaguli leporini dragma matres effectæ ſunt. Harum una ſuperiori anno filium unigenitum ad Capucinorum novitiatum ducens; in navi Huenſi mecum vecta. En, inquit, quem Dei beneficio, & tuo conſilio genui filium, is jam Deo dedicatum ſe vadit.

Vidi

Vidi puellam gravidam, quæ ut fœ-
um abigeret totis ſexaginta diebus quo-
idie euphorbii dragmam ſumpſerat, nul-
o profectu, cum à me conſilium peteret,
ogavi num illius euphorbii quodab empi-
ico acceperat, partem aliquam ſervaſſet;
um mihi oſtendiſſet, effœtum omnino,
c vix linguam acrimonia feriens compe-
i, unde facile conjeci cur vires non ex-
rcuiſſet ſolitas, nec enim alvum ipſi mo-
erat. Validius poſcenti remedium, dixi
ios jurejurando obſtrictos, numquam
bortivum præſcribere poſſe: rogata ne
c ipſa tam immani ſcelere ſe contamina-
et, reſpondit amatorem ſuum virum
ruditum, affirmare, embryonem poſſe
riuſquam animetur expelli, ipſum artis
oſtræ coryphæum Hippocratem, pſal-
riæ ſextum diem gravidæ, aborſurum
ltum præſcripſiſſe. Scio inquam veteres
c in iis Ariſtotelem 7. Politicorum priuſ-
uam ſenſum & animam fœtus acceperit
iterſtingui concedere. Cæterum *Tertu-
anus in Apologetico, feſtinationem* ait *eſſe ho-
icidii, prohibere non naſci*, quod & tota
Theologorum ſchola ſequitur; ſeminis
nim utero concepti, cum non ſit talis, ut
naneat ſemen, ſed ut fiat animal; eodem ſe

ſcelere polluit qui ſemen illud corrumpit mox animandum, atque qui animatum contrucidat. Hæc tandem mortuum fœtum & ipſa diu doloribus nixiis atrociſſimis confecta, cum morte luctata, exacto geſtationis tempore, edidit. Puerpera demum & ſalutis anxia mihi faſſa eſt ſe meo conſilio deſtitutam, alios adiiſſe, qui recentes cyclamini radices, leviter tritas in imum pudoris ſinum adegerant, ad multos dies renovatis quotidie radicibus: tandem ſuffitibus ſiccis humidiſque diu uſam; validiſſimis denique purgationibus alvinis, & ſanguinis miſſionibus: nam & in ipſo uteri oſtio, prodentem ſe hæmorrhoidem, bis aperuerat, quo tempore certiſſimam ejiciendi fœtus ſpem conceperat: ſed fruſtra. Ab aliis ecbolia illa, vel phtoria medicamina rogatus, ſemper reſpondi quod veriſſimum eſt, ægerime poſſe occidi fœtum, niſi ſimul enecetur mater, cum magna violentia opus ſit ſive intus ſive extra admoveas medicamina, idque credo omnes bonos & doctos Medicos affirmaturos, cum videamus cum quanto fœtæ periculo fœtus mortuos, ſecundinaſque expellamus, atque hoc modo multas territas ab immani infanticidio revocavi.

Carcinomate uteri laborantes, aliquot tractavi. Harum una anno 1605. anus ſeptuagenaria, à cunis temperamenti bilioſiſſimi, poſt inguinis, imi ventris lumborumque dolores, de vulvæ excoriatione, prurituque maximo queſta, cum poſt univerſalia, peſſum argenteum, illis qui à Pareo deſcribuntur pænem ſimile, ſolo mercurialis ſucco, goſſypio excepto, fartum, imponendum curaſſem, minimo poſt tempore, peſſus nitidiſſimus, & jam ab aurifabro miſſus, omni pici nigrior extractus eſt, fætentiſſimus, ichore tenui, nigro, graviſſime olente madens. Itaque de cancro uteri nihil dubitans, curam abſolutam deſperans palliativa utendum duxi; potu ergo ciboque cum borragine, epithymo, fumaria, mercuriali &c. medicato, præſcripto, indies metrenchyta, emulſionem ſeminum uſquiami, malvarum, pſylii, cydoniorum, cum ſuccis ſempervivi, ſolani, portulacæ, oleoque roſato injiciebam, unde pruritu ſedato intra breve tempus, mihi valedixit, cætera ſe Deo commiſſuram dicens, ego fœtori illi ferendo impar, miſſionem mihi dari gaviſus ſum. Millies mirari ſubiit, quomodo candidiſſimum argentum, momento tam pertinaci nigredine

tingeretur, ut nullis accillarum lotionibus aut fricationibus vel minimum mundaretur, atque ſola aurificis arte, perpurgari poſſet. Non credo quicquam aliud eſſe in rerum natura, quod niveo metallo, tam cito, tam diu duraturum colorem affigeret.

Fæmina quadragenaria, cum menſes aliquandiu ſubſtitiſſent, ſaphenarum apertione, cataminiaque pharmacis ducentibus mea opera percurata, utero concepit, quem cum ferret, menſium ſuppreſſionem iterum verita, neſcio quibus remediis anuum chirurgorumque conſilio aſſumptis, me inconſulto, ſe fœtumque afflixit, adeo ut multum emaciata, moritura crederetur. peperit tamen, atque à partu *lo*chiis minimum fluentibus, magnam uteri inflammationem, quam mox exciperet febris, incurrit. Dolebant præter inguen, coſtæ, & coxæ, & de capitis media, poſtremaque parte, multum querebatur. Alvus & veſica parum vel nihil excernebant; reſpiratio brevis; pulſus crebri, exiguæ lipothymiæ. De dubio morbi eventu marito præmonito, jubeo quantum poteſt à cibo potuque abſtinere, ſolaque ptiſana, aut ejus ſucco contenta eſſet, clyſteribus quo-

ti-

tidie uteretur leniſſimis, ſaphenas pertundi curaret utraſque, ſed mora interpoſita, unde à lochiorum palindrome omnia ſe remiſerunt accidentia: ſyrupo demum roſato ex multis infuſionibus ſolutivo uſa; atque emulſionibus ſeminum frigidorum cum tribus caphuræ granis, alvo veſicaque conſueta munia obeuntibus paulatim meliore victu vinoque revocatis viribus, tandem lente, ſed omnino convaluit,

Anno ab hinc ſexto, vocatus ad puerperam phanaticam, ita ut à ſex validis hominibus vix contineretur, ſub initium noctis; è ſaphena educto ſanguine, ſtatim illam quietiſſimam reddidi, dataque ſeminum frigidorum & papaveris albi emulſione, ipſam ſopivi, in multam lucem; tum ſyrupo roſato ex infuſionibus alvum movente uſa omnino convaluiſſe viſa, poſtridie mane mihi valedixit; ſub veſperam, antefuroribus ſolito gravius conflictata, cum jam convellenda videretur, advocor, ſtatimque aphoriſmi quadrageſimi ſectionis quintæ memor, *phanaticas fieri mulieres quibus lac in mammis colligitur*, ſtatim de mammis quæſivi, quas cum turgidiſſimas, atque ad inſaniam dolentes à muliere tractari dicerent,

 juſſi

juſſi mihi oſtenderent, ſtatim avulſis cataplaſmatibus, plurimæ in utraque puſtulę apparent; quarum aliquas, ut minimum numero octodecim, cum acus cuſpide aperuiſſem, multumque puris albi, lævis, æqualis, minime fœtentis eduxiſſem, ipſa agno quietior in lecto ſedit; maritumque cum amicis flentem conſolans, omni ſe malo defunctam adſeveravit. Iuſſi dimiſſa muliere atque ad colum remiſſa, Chirurgum vocarent; atque ita brevi ſani tati omnino reſtituta, quater ab illo tempore innoxie peperit, hodieque baſilice valet. Tonſoris mei uxor, decies quater ægerrimis partubus, quatuordecim Agrippas mortuos ejecit. Mirus in undecimo caſus accidit, cum puer, ut & alii omnes qui *præ*ceſſerant, pedes primum egereret, obſtetrix ſolito ſibi more trahens, puerum collo tenus extrahit, relicto in matrice integerrimo puelli capite: accitis aliis duabus obſtetricibus, nihilque proficientibus, cum ægros viſurus plateas pererro, in vicino templo, campanam agonis ultimi indicem pulſari audio: ſciſcitatus vicinos quiſnam cum morte luctaretur, uxorem tonſoris monſtrantibus, quod numquam alias in vita mihi contigiſſe memi-

memini non vocatus, amiciſſimi domum intro, viſoque cadavere puerili jam totis ſeptemdecim horis à capite revulſo, pudendorum locis clauſſis matricis ſpeculo reſeratis, peſſum ex zybetho, beniovino, aliiſque evolmis applicandum curo. Dein per os, teſtium equi præparatorum, boracis, ſingulorum dragmam, croci ſcriptulum cum aqua liliorum alborum propino. Mirum dictu, viſuque; patiens humi ſuper pulvinaria jacens, quadrante poſt horæ, ſternutatorio ex peto naribus admoto, ita ſe concuſſit, caputque relictum tanto impetu ejecit, ut illud per cubiculum ad octodecim pedes, ſphæræ inſtar ligneæ ſe rotaverit. Secretum de equinis teſtibus communicavit mihi an. 1600. Patavii Horatius Augenius, cum illum in praxi comitarer, ſed jam antea ultimis verbis libri ſui ſeptimi, conſultationum & epiſtolarum medicinalium, evulgaverat. Geſnerus etiam hoc tanquam myſterium habendum ſcribit in epiſtola ad Gaſſerum pag. 27. Illa ſupervixit, atque ut dixi ter poſt, ſed eadem fortuna peperit, donec febri epidemica extingueretur, Maritus interim ex alia uxore jam quinque proles vivas habet. Memineram Hippocratem

initio libelli de Medico vetuiſſe oblationem officii Medicis, *eo quod promptitudo, & facilitas medendi effuſe oblata, ab ægris contemnatur, etiamſi multum illis utilitatis adferat*; cæterum pluris apud me fuit longa in conſorem meum benevolentia, quam ruſticus incerti contemptus metus.

Anno 1603. uxori gregarii militis, difficili partu pæne enectæ, dedi pulverem teſtium equi, in aqua liliorum alborum cum croco, pudendo ſaponem nigrum applicandum curavi. dimidio quadrante citius puerum croceo colore tinctiſſimum Indoque mulatto ſimilem enixa eſt. Mirabar tantulo temporis intervallo, crocum utero fœtuique vim ſuam communicaſſe, idque tam pertinaciter, ut aliquot poſt menſibus, puer ille flavedinis nihil amiſerit. de eventu, cum militesin aliud præſidium ſeceſſerint, non conſtat. Nota, mecum teſtibus aliquoties fæciliter in ejiciendis fœtibus ſecondiniſque uſus eſſem, cogitaſſe eoſdem ad menſes movendos aptos fore, tentaſſe in virginibus mihi familiaribus, ſed nullo ſucceſſu; etiamſi una totam unciam octo doſibus uſurpaverit, me vidente. Rodericus à Fonſeca Tomo 2. Conſ. 81. dicit hos teſtes

teſtes eſſe præſtantiſſimum remedium ad colicam, idque in ſemetipſo expertum. ſed jam Tomo 1. Conſ. 57. dixerat hoc ſibi eſſe ſecretorum ſecretorum præcipuum in colica, & fœtibus mortuis ejiciendis.

Illuſtris fœmina, ſub annum ætatis trigeſimum, ſexto poſt nuptias menſe, ſanitate optima, menſibuſque typum accuratiſſime ſervantibus fruita hactenus, repente immodico menſium fluxu corripitur tota hebdomade. Poſtmodum menſium fluor ordinis oblitus, modo octo, alias pluribus diebus ſerius ſe oſtendit, unde ventre in exiguam ſe molem ſurrigente, quod unice cupiebat, gravidam ſe credidit. Secuti duo menſes ordinatiſſimi quales & ante, & in primis nuptiis. Poſt hos uberiore interim profluvio, & primo ſimillimo vexata, cum nec hilum ventris ſe tumor remiſiſſet, imo auctus eſſet, mammæque non aliter turgerent, quam in legitime gravidis, dolorem nihilominus inſignem & capitis, & ſcapularum & renum pateretur, appetituque omnino proſtrato, & ſæpe pica laborantibus affini, accedente cardialgia notabili, excretis multis ſupra infraque aquis plurimum levabatur: maxime ſumpto cibo. quo-

ties vinum ut eſt actu frigidum bibebat, manifeſtum in mammis frigus ſentiebat. Hoc ſtatu fuit ab anno 1628 ad finem Iunii 1629. menſibus interim ordinate fluentibus, ſed in minori quantitate; tumore interea imam potiſſimum abdominis partem occupante, renibus tum temporis, lumbiſque inſignite dolentibus, ut creberrime parturire ſe crederet; mammæ lac invitæ fundebant, & per ſinum pudoris lactiformes ſeroſitates magna ſe effundebant copia, ita ut obſtetrix partum vicinum adfirmaret. Patiens motum pueri ſe ſentire adſeverabat, ſeque uterum ferre, non dubitabat, juxta illud: Quod quiſque nimis vult, hoc facile credit. Demum Auguſto menſe Medici vitioſum ſuſpicantes conceptum, aquas Spadenſes præſcripſerunt, quas cum octiduo bibiſſet, ob nimiam cæli inclementiam, eas coacta reliquit, atque ad Aquiſgranenſes thermas ſe contulit, quibus bis in dies ad tres hebdomadas uſa nil profecit, tumore non diminuto, nec ullo ſymptomatum ſe remittente, accedebat reſpirationis difficultas, dolor imi ventris, crurumque & genuum, borborygmi infeſti, venter in decumbente, paulo quam inſtante vel ſeden-

te

te de preſſior. Obſtetrix in matrice dicebat ſentire ſe quid duri & ponderoſi. Diverſiſſimæ fuerunt ſuper hoc caſu Medicorum opiniones: erant qui tympaniticam, qui aſciticam judicabant: Contra indicabat color faciei vividiſſimus: nullus ventris ad poppyſmum ſonitus: nullus aquæ motus, omnimoda febris abſentia, nulla ſitis, corporis motus, & ambulationes quothorariæ liberæ. Alii molam eſſe dicebant; ſed aberat omnis macies, color optimus, menſes ad ultimum uſque ordinati, in coitu non dolebat, nulla animi deliquia; & mammæ fundebant lac, quod in mola non fit, alia etiam deerant quæ pleraque molam patientibus, evenire dicit Hippocrates lib. 1. de morb. mulier. Cum Leodium conſilii cauſſà veniſſet, conſultis primum, ut fert muliebris curioſitas, ſeorſim aliquot medicis, tandem plures ad conſiliandum ſimul convocavit. Cenſui ut cachecticam tractandam, purgandam ſæpius rheo, agarico, & ſena, infuſis in juſculis optimis, per epicraſin, decimo poſt menſes die, ſemel atque iterum tundendam baſilicam, primum dextri, dein ſiniſtri brachii, cum pauca ſanguinis miſſione: In dies ter ſumeret opiatam leviter ape-

rientem & confortantem cum ſpeciebus diarhodonis hepatis (ſic enim vocandam juſſit Augenius,& non Abbatis)trion ſantali,lętitiæ Galeni,& aromatici roſati.Sententiæ huic adſenſit Ogerus,qui illam intra menſem percuravit.Cæterum marito crapula dedito, paulo poſt cauſone ſublato, ſpem noſtram eluſit. Audio nunc illam ſecundas cogitare nuptias, forte de eventu libro proximo, ſi res & ætas & Sororum fila trium annuerint, edocebimur.

Malmundarium Anno 1608. vocatus, hydropicam anum quæ etiamnum in ultimo vivit ſenio curaturus, immanem ex remota platea ejulatum audio, ſciſcitatus quid eſſet,ducor ad juvenem primiparam, cui inepta obſtetrix veſicam laceraverat, ut nec momento urinam contineret: unde jugi ſtillicidio excoriata primum cutis labiorum pudendi, mox tot ibi verrucæ, ſed molles, natæ, ut putem nullius duas manuum volas capere illas potuiſſe, utraque natis ad os fere eodem lotio exeſa. Juſſi Leodium illam vehi, cupidiſſimus curam illam tentandi; reclamante ſocero meo Thoma Ryetio Medico doctiſſimo, ut primum operi me accinxi, informem illam & prægrandem verrucarum

rum

rum molem, magmate illo ex ſtibio crudo, & ſublimato æqualiter mixtis, unde butyrum antimonii diſtillant, denſe oblevi; qua ſæpius deraſa, die tandem tertio labia pudoris altiſſime ſepulta primum ſe aperuere, & clunium putris caro exeſa vel exciſa ſpem boni, ſucceſſus fecerunt, ut primum diductis labiis ſphincterem veſicæ obſervare potui; ſiphonem argenteum concinnavi, cujus partem breviorem veſicæ immittebam; longiori autem & quatuor latos digitos extanti, lagenam alligabam. Hoc modo urina alio derivata ulceribus ad cicatricem ductis, ſana ſibi viſa, maritum cum quo biennio non conſueverat, decimo nono poſtquam Leodium venit die ad ſe vocat, à quo, cum ipſam artem reponendi ſiphonem neceſſario auferendum in amplexibus docuiſſem, iterum gravida felicius peperit. Cæterum urinæ jugi ſtillicidio cum multa adhibuiſſem fruſtra, dimiſi hoc uno lætam quod omni dolore ſoluta moleſtam vitam ob lagenæ pondus commodius traheret. Tandem alia occaſione Malmundarium revocatus lætiſſimam offendi, unaque ſiphonem argenteum offerentem, jam, inquit aliquot menſes hujus adminiculo non

egui,

egui, tibi forte uſui aliquando erit, ſtupente me quomodo urinæ illa incontinentia liberari potuiſſet, oſtendit mihi ſacculum collo appenſum, in quo erat pulvis bufonis vivi, in nova olla uſti. Hoc à Cingaro ſe edoctam, ab ejus uſu nihilo ſecius urinam ſe continere, quam ante lacerationem. Leodium, reverſus hoc ſecretum nunquam mihi lectum vel auditum in alio experiundum duxi. Appendi itaque collo mercatoris Leod. eadem incontinentia ob male ſectum calculum, vexati. Mirum dictu, etiam hic ſtatim perſanatus fuit. Aliam periculum hujus faciendi occaſionem, quamvis curioſe quæſiverim, reperire non potui.

Quod ſequitur, miraculo affine *eſt.* In vico doliariorum Oda Joſaii in tertio partu extincta, relicto vivo pupillo. Iehenna Odæ mater, quinquagenaria major, miſerata nepotulam ejulantem, aridas jam dudum ab undecim annis mammas ori ejus applicat, ſugit infans, cum immani omnium ſtupore, lactis magnam copiam elicit, idque multis poſt menſibus continuat; dum adoleſceret, commodeque alios cibos, pótumque admitteret. Ita natura numquam deficit in neceſſariis, & ſitienti

Iſmaeli,

Iſmaeli, etiam in pumice aquam quo vitam ſuſtentet, invenit.

Observatio XV.

Uſu lactis, Leipothymiis & cholera morbo tantum non internecino correpti, ſanati.

LAc, quod eſſe benignum excrementum coctionis tertiæ dicunt veteres Neotericique optatum humanis eduliis poculiſque alimentum, niſi ſale, ſaccaro vel melle condiatur, ut monet Galenus tertio de alimentis, gravia ſæpe parit ſymptomata. Anno 1605. media nocte, Trajecti ad virum primarium exconſulem accitus, proceræ ſtaturæ, juſto obeſiorem, temperamento à natura calido & ſicco; invenio totum ſudore frigido perfuſum, ægre reſpirantem, nauſeabundum, ſtrangulationem timenmentem, quoquo verſum in lecto ſe volutantem, cum multa veneni alicujus ſigna ſe oſtentarent; rogo domi ne pranderit, cœnaritque? annuente uxore, rogo num lac crudum coctumve aſſumpſerit? crudum inquit, initio cœnæ; deinde ſtatim acetoſæ lactucæ mixtæ multum comedit, demum

nelii dragmas decem cum decocto dragmæ unius radicum aſari, ſeminis urticæ, geniſtæ & raphani, propino; quo potu plurimum lactis parum coagulati, cum aliis aſſumptis bileque ac pituita, nullo negotio excrevit, unde omni fere moleſtia liber, etiam alvinas ſordes, ſine ullis lactis indiciis depoſuit. Data ergo theriacæ ſeſquidragma diceſſi, & mane ſaniſſimum deprehendi. Sine dubio, ut Themiſtocles à taurino ſangui ne coagulato in ſtomacho, extinctus fuit: anchoini Kato, ut loquitur Cous noſter, ita & hic niſi vomitu levatus fuiſſet, mortem non evaſiſſet. Sicut ergo Dioſcoridis textum in eo corrigit Matthiolus, cum negat ſalem lacti aut ſanguini coagulato, in ventriculo, diſſolvendo conducere; Ita puto eundem vomitum prohibentem, in iis quibus ſanguine aut lacte coagulatis, ventriculi turgent, intelligendum eſſe tantiſper cavendum vomitum, dum thrombi lactis, gulam inter vomendum eliſuri, ſoluti ſint dato coagulo, ſemine naſturtii, mumia, ſpermate ceti; tum enim ſæpius feliciſſime adminiſtravi; ut & huic ex ſuo meoque voto ceſſit.

Illuſtris in primaria Leodienſium æde eccleſiaſtica in dignitate conſtitutus, die

die Sabbathi plurimum lactis in villa ſua ſuburbana ſub veſperam cum bibiſſet, noctu in choleram morbum incidit, manè accitus cum quinquagies vomuiſſe, quadragies quinquies ſeceſſiſſe ſe diceret; vir temperamento eximie bilioſo; dixi nimium lactis bibiſſe. Ille familiæ quam evulgaſſe putavit quod tacitum volebat, ſuccenſens, acriter eos corripuit; omnibus negantibus ſe mihi locutos, rogavit quis mihi lactis indicium feciſſet? Reſpondi & rem ipſam, & libros noſtros hoc docere, hunc enim affectum naſci ex corruptis in ventriculo cibis, maleque concoctis, ut qui melones, ficus, ceraſa, pruna, alioſque horarios fructus quibus hac tempeſtate deſtituimur, vorant: aut à dulcibus in bilem pronis copioſe ingeſtis quale eſt lac, & maxime ejus cremor. Mihi ei à tot jam annis Medicinam facienti diætæque ejus peritiſſimo facillimum fuiſſe de lacte certò conjicere, fatenti tum quod negare non poterat. Primum, quia inſomnem noctem duxerat valideque ſitiebat, hypnotico decocto cum ſucco granatorum & limonum mixto refectus, ſomno ſe dedit, ſat longo & placido. Superfluum credidi vomitivo, aut eccoprotico, gulam aut inteſtina irrita-

tarc, utriſque jam ſponte nimium turgentibus, & ſe exonerantibus, & hypercatharſin merito metuens. A ſomno expergefacto, dedi juſculum pulli cum ſucco berberorum, pauco cryſtallo montano, & ſantalorum pulviſculo, quo aliquoties ſumpto, bilis vi retuſa, ſymptomata pleraque, & maxime ſitis moleſtiſſima, ſe remiſerunt. Demum quia valde urgebat cito ſanari, quia die Jovis ſequenti feſto Chriſto aſcendenti ſacro, ſacris operari in ſummo templo, ex officio debebat, miſcui emplaſtrum de cruſta panis, cum unguento Comitiſſæ, pulvere galliæ moſchatæ, maſtiches, myrti, roſarum, omnibus cum oleo maſtichino in unguenti formam redactis, omnia ab oſſe xiphoeide ad pubem obliņenda curavi, veſperique ſomniferum iterum exhibui. Unde die quarto ſaniſſimus, die quinto aræ commode vacavit.

OBSERVATIO XVI.

Aquam chryſulcam Juvenis annorum 20. *vice aquæ vitæ potans; extinguitur.*

ANno 1629. quarta Februarii Iuvenis à vicino aquam vitæ petens, Sole

Sole nondum orto, aquam chryſulcam accepit, non exſpectata candela quam accendebat Matrona, petitam aquam ipſi datura: è phiala interim in officina reperta parum, ut dixit, aquæ chryſulcæ guſtavit; allata candela, Matrona aliam quærendam phialam dicens, hanc enim venenatam & pro veterinario in equorum ulcera curanda, paratam aquam continere. Dum illa lagenam aquæ vitæ plenam ex proxima tabernæ culina petit; Juvenis multum vomere cœpit, nam eodem die aliquot uncias aquæ vitæ optimæ, à qua jam ſemiebrius erat deglutiverat, multumque de ſtomachi dolore conqueſtus in ipſa ubi chryſulcam guſtaverat pharmacopœi domo lecto ſe committit. Vocatus, mucilaginem primum ſeminum pſylii, cum cryſtalli montani præparati ſeſquidragma exhibeo: qua ardore ventriculi & dolore ſopito, vomitivum propino, quo cum ventriculum omnino deplevißet; caponis juſculum cum cryſtallo & ſucco limonum recenti ſorbendum dedi, unde in ſomnum lapſus placidum, ad meridiem dormivit. A meridie vocati alii medici chirurgique, quorum unus cum illum gonorrhœa laborantem maximaque penis

carie

carie pridie tractaſſet, nobis ejus rei indicium fecit. Tandem morbi ſævitia artem ſuperante decimo ſexto die fatis conceſſit. Amici & urbi poſitus villicus, Matronæ diem dicunt, cædis ipſam accuſantes: ego ſequenti ſcripto in libertatem illam adſerui, quod quia accuratam medicæ rei hiſtoriam continet, hic inſerendam judicavi. Domini Judices; Qui ſectioni interfuerunt cadaveris hujus dubii, Medici octo Chirurgi duo ſupra viginti omnes conſenſerunt, quatuor qui ſequuntur articulos veriſſimos eſſe. 1. In pene magnam fuiſſe cariem, quæ totum ipſi abſtulerit præputium, adeoque maximam glandis ipſius partem cum plurimo pure ab illa adhuc ſtillante poſt mortem. Imo cum Chirurgus reliquias putridi penis leviter contrectaſſet, pene totum, pubetenus avulſit, pavimentoque alliſit, cum craſſiſſimi tabi profluvio. 2. Parotidem ſub aure ſiniſtra maximam, quæ totam genam occupabat, ſummamque puris copiam & forinſecus per ſectam cutem, & intrinſecus in os & œſophagum effundentem. 3. Levem fuiſſe exterioris tunicæ œſophagi excoriationem duobus ſupra orificium ventriculi digitis, latam & ipſam digitos duos, in ipſo denique

nique ventriculo, particulas quaſdam ſyderatas apparuiſſe quæ primo attribuebantur aſpectu potioni aquæ chryſulcæ. 4. Cor, pulmonem, renes, hepar, veſicam, inteſtina omnia, integerrima omniſque læſionis expertia fuiſſe. Cum ergo Iudicum interſit ſcire, quodnam trium horum pathematum miſerum hunc ad mortem præcipitarit, nec enim extra hæc quicquam in ſuſpicionem venire poteſt: Dico primo; Aquæ chryſulcæ potæ non adſcribendam mortem; quod his rationibus probo. 1. Omne agens naturale prius agit in res ſibi vicinas, quam in remotas. Eſt Ariſtotelis 7. Phyſic. cap. 2. Aquam fortem naturale eſſe corpus, cum componatur ex vitriolo, alumine &c. nemo dubitat. Sequitur ergo ad has duas præmiſſas neceſſarias, neceſſaria concluſio; Nicolaum defunctum ſi ab aqua læſus eſt, debuiſſe primum lædi in labiis, lingua, tonſillis, œſophagi initio, potius quam in fine: omnes enim hæ partes, & læſionis capaces, & viciniores ſunt, & aquam integriorem minuſque refractis viribus ſenſerunt. Atqui quotquot vivum mortuumque viderunt, in labiis dictiſque partibus nullam læſionem obſervarunt. Imo Medicorum multi viderunt bibentem,

tem, comedentem, pharmaca ciboſque ſine difficultate me præſente deglutientem, quod ſane ſi dictæ partes excoriatæ fuiſſent, facere non potuiſſet. Semper enim ſumpſit ſuccum limonum cum emulſionibus, tactum inſignite ferientibus, maxime in locis epidermide deſtitutis; & ſi in manu vel facie lacerata, ſuccum limonum nullus tulerit, quiſnam in ore & palato, acutioris longe ſenſus partibus, feret? Notate facilem illam ingeſtionem ad ultimam vitæ duraſſe diem, quod nec ipſa calumnia, cum toties mecum id viderint Medici & Domeſtici, negare auſit. 2. Omnium ſaniorum Doctorum unanimis eſt conſenſus, Aquas fortes, Arſenicum, ſublimatum præparatum, &c. aut ſtatim occidere cum convulſionibus & torminibus horrendis, oculorum & oris diris contorſionibus: aut ſi mortis moram trahant, cryſtallo montano, cum dictis emulſionibus curari poſſe, maxime ſi ſtatim à ſumptione quis vomuerit. Santes Ardoinus Doctus in Italia Medicus qui ante ducentos ſcripſit annos, lib. 2. 1. & ſeqq. uſque ad ſeptimum, ſæpe dicit hujus ſecum opinionis eſſe Rhaſim, Allharavium, Petrum de Apono, Gilbertum Anglicum plu-

reſque alios: Hoc ſæculo idem ſcripſere Foreſtus libro 15. obſervat. 13. Balduinus Ronſæus epiſtola nona, Matthiolus in Commentariis ſuper Dioſcoridem, aliique. Inde infero Nicolaum, nullum ſignum veneno potati in vita habentem, non obiiſſe potu aquæ fortis, cum ſtatim à ſumptione & antidotum ſumpſerit, & copioſe, ut adfirmant Medici, vomuerit, venenique vis ſi qua fuit, omnino retuſa fuerit, cum ad mortem uſque liberrime comederit, biberitque. 3. Nicolaus per os egeſſit lumbricos vivos ipſo primo die cum acutiſſimis ructibus, ut mecum multi jurati teſtantur. Dico ergo, & ſcio faſſuros idem Medicos, id quod ſyderatum in œſophagi parte ventriculo tam vicina & ventriculi ſumma apparebat tunica, non ab aqua forti, quæ ſuperiores partes prius lædere debuiſſet, ſed ab acuta vermium roſione manaſſe. Lumbrici enim ſæpe non tantum excoriant inteſtina, ventriculumque, ſed totum eorum corpus erodunt certoque necant, ut alibi obſervaſſe me legetis. 4. Naturam gnaram neceſſitatis œſophagi & ventriculi, in alendo corpore, cum ſæpe excorientur deglutitione acicularum, ſpinis piſcium, fruſtis vitrorum den-

dentibus comminutorum, quod inter Germanos ſæpe vidi, vinum ſibi vitrumque ſimul propinantibus. (*Das heiſſt man auff Bruderſchaft ſauffen*,) qui cum totum vitrum dentibus ſuis molitum deglutiſſent, non ideo moriebantur, licet gulam, ſtomachnm, ipſaque inteſtina excoriaſſent, quia natura omnia illa tribus veſtivit tunicis vel membranis, ut docet Galenus quarto de uſu partium, & poſt illum tota Medicorum Academia; ita ut duabus primis tunicis eroſis, atque adeo omnino exceſis, ſola tertia deglutitioni ſufficiat, nec mortem, niſi poſt multos annos accerſere poſſit. Revocate vobis in memoriam, Domini Scabini, quod Leodii nobis vivis accidit, cum in convivio cui aliquot veſtrum interfuerunt, multi arſenicum, vice orizæ farinæ edulio mixtum, ediſſent in ultima menſa, mulieres aliquæ, & viri qui minimum ederant biberantque, ſtatim à veneno ſublati ſunt: qui ventriculos patrio more ſaburrarant, à vomitu curatos, cum multis poſt annis fatis conceſſiſſent, eorumque aperirentur cadavera, invenimus in illis latiores & profundiores eroſiones, quam in Nicolao, in quo erant & parvœ, & paucæ, & ſoli ſuperfi-

ciei adhærentes. Alia ergo in juvene vigeſimum annum agente mortis quærenda cauſſa ; matronaque quæ chryſulcam prompſit, non autem potandam dedit aquam, infamiæ pœnæque eripienda. Huic concluſioni firmandæ multum facit hiſtoria ab Ardoyno lib. 2. cap. 1. relata : dicens ſe cum aliis tribus Medicis Piſarienſem ditiſſimum, Venetiis toto menſe tractaſſe ſine profectu, cumque omnes quatuor, illa nocte moriturum credidiſſent, ſe ſollicitum tandem ex domeſticis intellexiſſe, variis domus in locis ſparſum arſenicum, ut viverras columbis ſuis inſidiantes occideret, unde conjiciens ipſum cum cibo aut potu ſumpſiſſe arſenicum, dediſſe cryſtallum montanum ut ſupra ; ipſumque triduo omnino convaluiſſe. Unde repetit veram antidotum ſeu bezoarticum certo curans venenum arſenici, ſublimati, aquæ fortis, eſſe cryſtallum, quod ex illo repetunt Mathiolus, Foreſtus, Ronſſæus, alii. 5. Nemo mortalium negat, quin omnes veneno cujuſcumque tandem generis ſit, morientes, in corde manifeſtum mortis indicium habeant : Atqui omnes in hoc, integerrimum ſe & ſaniſſimum, inveniſſe dicunt. Hic nonn-

ındum quod ſi eroſio œſophagi proceſ-
ſſet à veneno aquæ fortis (quod non cre-
ɔ, cum vermes ipſum laceraſſe conſtet ;
ɔr œſophago proximum veneni vim ſen-
ſſet ante alia membra remotiora. Dico
·go cacochymiam univerſi corporis, co-
amque vermium ſupra infraque excre-
m, qui validiſſimo homini necando ſuffe-
ſſent, aut certe quod magis credo paro-
dem, Juvenem è vivis ſuſtuliſſe. Hoc
ɔcet Hippocrates cap. 4. §. 1. lib. 1. coa-
.rum prænotionum, qui in editione Do-
iſſimi Dureti eſt fol. 114. ubi dicit, *Om-*
s parotis peſtifera. Conſtat inter omnes,
agnas parotides (fuit autem hæc omni-
n maxima quas unquam vidi) ſemper
ſe mortiferas. A paucis diebus obiit uxor
ɔneſti viri Ludovici de Marche, cujus
ortis cauſſam omnes qui eam viderunt
edici, in parotidem rejecerunt, quæ
iſeram quarto die abſtulit, ſicut & Nico-
ıs noſter, non niſi triduo ante mor-
n parotide laboravit. Verum eſt paro-
les cuivis ætati accidere poſſe, maxi-
e in chronicis febribus, eaſque peri-
loſas. Cæterum qui parotides vene-
as, aut à Gonorrhœa carieque viru-
ıta pendentes patiuntur, millecuplo

plus diſcriminis adeunt. Ut ſciatis parotidem hanc, à carie Gallica in viſitatione obſervata pependiſſe; credite Alex. Trajano Petronio lib.2. cap. 17. de morbo Gallico, ubi ait multos quorum cariem Chirurgus aqua forti tetigerat, poſtridie habuiſſe tumores maximos in capite & partibus vicinis, quod veriſimillimum eſt; cum in dies videamus eos qui Gonorrhœa vel carie correpti ſunt, ſtatim puſtulis majoribus in fronte tentari, quas vulgus apud nos vocat roſarium vel chapelletum; cujus cauſa eſt quod cum caput reliquo corpori incumbat inſtar cucurbitæ, ut loquitur Hippoc. trahit ad ſe ſordes inferne ad ſuperiora delatas. Cardanus docturus quantam communionem habeant genitalia, parteſque ipſis vicinæ cum capite, adſeverat quod ſi quis canitie deformis, unica tantum nocte illinat ſcrotum vicinaſque partes ſucco ex radice juglandis viridi expreſſo, canitie depoſita nigerrimo colore capitis pilos inficiet, totum annum duraturo. Sed hoc clarius elucet in eunuchis, caſtratiſque, quibus ſi ante pubertatem auferantur teſtes, atque Plauti joco inteſtabiles fiant, numquam barbam producunt, & ſi barbatis caſtratio con-
tin-

ingat, barba illis non amplius creſcit, imo roducti antea pili ſæpe decidui fiunt. Quod nos Juvenalis Satyra ſexta docet:

unt quas eunuchi imbelles, & mollia ſemper
)ſcula delectent; & deſperatio barbæ,
t quod abortivo non eſt opus: illa voluptas
umma tamen, quod jam calida & matura juvena
nguina traduntur Medicis: jam pectine nigro.
rgo exſpectatos, ac juſſos creſcere primum
eſticulos; poſtquam cœperunt eſſe bilibres,
onſoris tantum damno rapit Heliodorus.

Si itaque tanta eſt communio pudendò-um & capitis ut eſt, certum eſt putredi-iem quæ in pene Nicolai erat maximam, arotidem hanc immanem excitaſſe, ma-ignam, virulentam & lethalem. Juvenes uidam in arte Medica parum verſati, di-ent tumore venereo extinctum, debuiſſe epatis læſi veſtigia quædam oſtendere: iis eſpondet ſupradictus Petronius, aliique o-nnes Aſclepiadæ, hoc non accidere niſi iis ui diu morbo venereo laborarunt; nam ui recenti premuntur, ſolaque carie, go-orrhœa, bubonibus atque alopecia quam Galli pelarellam vocant infeſtantur ſi mo-

tegræ ſanitati reſtituuntur; quod non fieret, ſi hepar, ſanguificationis officina vitium contraxiſſet, quo ſemel læſo numquam curantur, variiſque crurum, brachiorumque gummaribus conflictantur, unde certiora quam ex ullis ephemeridibus, ſigna mutandæ aëris temperiei, præſagiunt. Mantiſſæ loco adde, cum conſentientibus omnibus Philoſophis, *Quod eſt Cauſa Cauſæ, eſt Cauſſa Cauſati*, caries & gonorrhœa virulenta, cum parotidem lethalem ipſi conciverint, mortem etiam inde ſecutam. Parotis enim cauſſa conjuncta, caries & gonorrhœa, antecedens cauſſa fuere: Aqua autem pota, vel potius guſtata nihil nocuit. Judices examinatis rationibus innocentem ream abſolverunt.

Observatio XVII.

Vino ſopitorum mortes, morbique mirabiles.

CUm ante triginta & aliquot annos, in Germania ſuperiore litteris vacarem, in Academia celebri ſtudioſi commeſſabundi, temulentique, quos patria lingua Brenner vocabant; quia ituri

ituri ad ſocii domum compotatum, hac phraſi utebantur (*Laeſt dieſen oder jenen gehn brennen*) tandem à nobili excepti ſunt, qui ſocios hilariter habiturus, adeo ſe vino implevit, ut in menſa cui adſidebat alte ſopiretur ; digreſſis ebriis ſociis, candela major cerea, in menſa ardens, ita ipſius non ſentientis, vinoque alte ſepulti, thoracem præcordiaque exuſſit, ut omnia interna paterent viſcera abſumpta candela, ipſe adhuc ſtertens, & in cæram favillaſque procumbens, mane à compotoribus ad vinum abſynthites ipſum invitaturis excitatur, mox de inſanis doloribus queſtus, oppugnantibus fruſtra tantam aduſtionem peritis Medicis, artis Profeſſoribus, inter magnos ejulatus die tertio miſeram egit animam, ſocios ut græcari deſinerent cum lacrumis precatus.

Anno 1622. Juvenis ex bello in quo cataphractorum centuriam duxerat reverſus, cum à meridie in multam bibiſſet noctem, in ſcamno feneſtræ apertæ contiguo dormiturus, decubuit ; illic facie ejus tota nocte, à nive denſiſſima verberata, mane tortura oris maxima laboravit, dextra gena feneſtræ viciniore omnino reſoluta, nam partis

 illius

illius palpebram explicare non poterat, & ſputa vel flatum ex illa parte, non erat potis excernere, tota inſuper pars characterem, molem, & colorem mutarat. Purgato pilulis fætidis & cochiis corpore, repetitis vicibus: uſus unguento ex gummis ammonio, ſagapeno, bdellio cum oleo petroleo ſubactis, opiataque quæ recipiebat nucem muſcatam, zinziber, acorum, ænulam omnia condita, theriacamque & Mithridatium cum balſamo Peruviano. Sexto die perfecte ſanus mihi valedixit. Sequenti tamen vere bene purgatum, Aquenſibus thermis ad paucos dies uti juſſi. Hic obiter notate, me oleo ſuccini uti ſolitum in epilepticis, convulſis, vomicoſis, qui a lapſu in thoracem catarrhi, purulenti facti erant, cum non ægris tantum, ſed & adſtantibus odio eſſe notarem, faſtidiumque à pleriſque ob fœtorem nimium, ſive litu foris, ſive intus tabella, vel pilis, vel quovis modo uterentur; jam ab aliquot annis, balſamum illi Peruvianum, optimis ægrorum rebus ſubſtituiſſe. Scio Chymicos jam corrigere illud, tetritatemque odoris illi auferre, repetita poſt lotionem diſtillatione; cæterum lotione illa plurimum enervari minimum

mumque opis præſtare comperi. Quare Peruviano potius, vel ex Syria allato naturali balſamo, utendum puto; dum oleum ſuccini validum, ſine fœtore diſtillare doceamur.

Anno 1584. Quidam quotidianæ ebrietati addictiſſimus, inter pocula, quoties chartarum luſu loculos vacuaverat, jurare ſolebat ſe uxoris ſuæ patruum, quod uberiores nummos ad luſum negaret, aliquando occiſurum. Patruus ille Canonicus erat, & pius, & probus, imprimiſque hoſpitalis, qua benignitate multos Leodienſium animos ſibi devinxerat. Quadam nocte cum tabellionem hoſpitio exceptiſſet, ab ipſo jugulatur, una cum nepte, & nepotulo. Mirantibus omnibus cur matutinis horis non interfuiſſet Canonicus, nunquam abeſſe ſolitus, oſtio diu fruſtra pulſato, ebrioſus noſter cerviſia pridiana ægre concocta, ſcalis feneſtræ admotis, cum aliis domum ingreditur, viſis tribus cadaveribus magno clamore & ejulatu acciti vicini accurrunt, inter quorum murmura, cum aliqui ebrioſum hunc cædium reum dicerent; capitur, carceri mancipatur in equuleum conjicitur, dicit non putare ſe feciſſe, ob ebrietatem ſibi in

dies ſolitam, certi nihil adfirmare poſſe, voluntatem aut velleitatem potius Canonici cædendi aliquando fuiſſe, cæterum ſe neptem aut nepotulum nunquam tacturum fuiſſe: Damnatur, & ſpectante tabellione ſceleſtiſſimo, innocens exquiſitiſſimis tormentis diu vexatus inaudita morte perit. Lacerato candentibus forcipibus, per omnes thoracis, brachiorum, crurumque muſculos, catenas ferreas ardentiſſimas injiciunt, imumque ventrem & medium circundant. Demum uno pede palo concatenato, ut currere poſſet ad paſſus aliquot, ſepem ligneam qua undique circumdabatur accendit carnifex. Hic qui huc uſque incredibili patientia, vix ferenda mala tulerat, rogat carnificem, niſi animam cum corpore perdere velit, vitæ ſuæ finem imponat. Carnifice ſpectantium Judicum nutum exſpectante miſer pluſquam ſemiuſtulatus, ſive caſu ſive ſponte inter palos ardentes cadit, tum omnium commiſeratione, orto horrendiſſimo clamore, multis ignem quantum poterant amoventibus clava ænea ægre cerebrum, animamque ipſi excuſſit. Hic finis ebrioſi. Tabellio Leodium reverſus, cum ultoris Dei quot horariis flagellis animam

mam miſere lacerantibus, impar eſſet, ultro Judicibus ſe ſtitit, rogans ut propera morte gehennæ qua in hoc mundo vivus torquebatur, eriperetur: & vigili, & quod raro fiebat ſopito, pueruli quadrimi cujus animulam fune eliſerat, ſemper Eumenidis inſtar flammas quibus innocens arſerat ebrioſus, quatientis, imaginem ſibi obverſari. Cum hæc pro tribunali diceret, manibus aſſidue faciem, quaſi flammas diſcuſſurus ventilabat, re ex ſpolio, aliiſque indiciis probata, ipſe eodem anno 23. Auguſti, ſed minimum tortus, laqueo gula tracta, ad palum exuſtus eſt. Hoc quidem ad Medicum nihil, ſed forte exemplo Lectorum meorum aliquis ſapiet; aut certe alterius cujus hiſtoriam tribus lineis expediam. Quidam dormienti in platea ebrio, ereptum gladium, inimico quem in vicinia audiebat, in viſcera adigit, relictoque ibi enſe, momento hominem necat. Vigiles cuſtodiam obeuntes ebrium cum vacua vagina, jugulato accubantem, in carcerem rapiunt, & hi diverſis temporibus piaculares carnifici victimæ cecidere.

Anno 1605. vir annorum triginta optimæ à puero complexionis, & ſaniſ-

ſimis natus parentibus, ex aſſidua ebrietate, ictero, cachexia, hydrope laboravit, purgato corpore, unguento de bryonia toti ventri inducto, puſtulæ rubræ prodiere plurimæ, unde multum aquæ fætidiſſimæ eductum. bibit lixivium ex cineribus geniſtæ, caulium, juniperi, ſtipulis fabarum, cum rubia tinctorum & ſaſſafras, vinoque dulci concinnatum, unde melius habuit. crus ſiniſtrum tumens, pæneque ſyderatum, cataplaſmate ex conſolida, cicuta atque aliis quibuſdam, reſtitutum. cum ſibi ſanus videretur, miſſionem facile impetro, multa monens, ut à nocituris poculis caveat; ſi enim Hydrops rediret, certo interiturum. promiſit multa parum vel nihil præſtiturus: ſequenti anno medio Januario iterum hydrope corripitur; tentata omnia, & jam alia faſtidienti multum laccæ, parum lotæ, rubiæ quam amabat, & ſaſſafras in pulverem redactorum, ingeſtum; unde cum iterum levatus eſſet, neque tamen à temulentia ſibi temperaret, Autumno exeunte tertio eodem tumore in altam molem inflatus, cum multum ſanguinem ſcreatu vomituque ejiceret, diarrhœa etiam hepatica, cruentiſque mictionibus terreretur, omnium
conſi-

conſilio promiſcue utens, hepatis lupi præparati monachi empirici conſilio, multum ſumpſit. ſed fruſtra. Tandem pulmonem ſuum, ut ajebat ipſe, tuſſi rejicere cæpit, ita ut quinta Martii Anni 1607. ſex ſeu ſanguinis concreti, ſeu pulmonis fruſtra in pelvim, quam tenebam, eodem tempore excerneret. Incoxi omnia fruſta aquæ, quæ cum deinde lacerarem, & cultro dividerem, quædam pure plena inveniebam. Tandem 25. Martii qui ſobrius diutiſſime vivere potuiſſet, fatis conceſſit,

Nobilis quidam ſenex, Sereniſſimo Brabantiæ Archiduci à conſiliis intimis, ebrius à menſa lecto illatus, ſtatim ſopitur. poſt mediam noctem veſicæ pondere iſchuriaque graviter vexatus, me accerſit. Pubi primum raſæ oleoque ſcorpionum perunctæ, pultem admoveo ex alliis, aliiſque quæ ad manum erant vino incoctis: Demum ſphæram ligneam perinæo applicitam cum valide ſurſum ageret famulus, veſica quæ nimio preſſa pondere ſubſederat, ſurſum acta, ſe exoneravit. Denique pota emulſione ſeminum violæ purpureæ cum aqua veronicæ, addito oleo vitrioli quantum acori optato ſatis eſſet, poſt clyſteres aliquot; pituitæ multum ſca-

phio

phio dedit, atque præter ſpem ſuam convaluit.

Quidam natus annos triginta ſæpius in dies ebrius, cum à forenſi rabula, in quorum ſubſelliis quæſtum faciebat, alapa vapulaſſet, pacem cum illo initurus in multam noctem vino hiſpano ſaburratus ſæviſſima cephalalgia, cujus dolor etiam occiput, ſpinamque occupabat cum omnium ſenſuum dejectione corripitur; ab amico, in cujus domum pro ſemimortuo delatus erat, ſub merinoctium vocatus; cum viderem aſſidue exilientem, corpus corybantis inſtar & pedes maxime, manuſque jactantem, nec verbulum etſi acicults à me premeretur, titillareturque proferre valentem, dico videri mihi cerebri ſphacelo correptum: nam aliquot ante dies numquam ſobrius, convitiis, verberibuſque; combibones pleroſque male mulctarat. Acutiſſime febriebat; & tamen potum omnem reſpuebat, validiſque manibus, dum vires tulerunt, à labiis admota cymbia amoliebatur: rubebat facies cum tumore: rubebant & oculi, quorum fixo obtutu conſpectos phanatici inſtar terrebat. præſcripto, quando aliud non licebat clyſtere validiſſimo, ad lectum redii, mane

quie-

quietiſſimum inveni, *movendi ſcilicet vi per languorem abolita.* Silentium tantum, ut vulſa barba, punctaque acu aure, vocem nullam ederet, *abolito jam nimirum omni ſenſu*, ut ſcribit Hippocrat. tertio de morbis. Cum venæ ſectionem vires non permitterent, cucurbitæ applicitæ, admota quæ ratio dictabat, capiti, cordi, carpis frigida; hirudinibus pone aures lividi cruoris aliquid exſuctum; ſed invita Hygieja omnia, die enim tertio ebriam exſufflavit animam. Amicis eum qui alapam dederat in jus vocantibus, à Magiſtratu caput cum cerebro ſphacelo correptum adſererem, aperire juſſi, invenimus meningas valde lividas, omninoque ſideratas, quas cum Judices mortis cauſſam dediſſe, huncque ſphacelum non alapę ſed jugi ebrietati, quę inflammationem cerebri conciverit, tribuendam Medicis crederent, ulterius, ipſis aliò properantibus itũ non eſt. Fœtore maximo naſos omniũ in alia omnia trahente.

Vidi puerum illuſtrem, litteris adhuc humanioribus vacantem, qui cum tribus aliis condiſcipulis quinque vini hiſpani ſiccarat pocula. Vocatus ad illum ineunte nocte, cum valde inquietum, anxium, nauſeabundum offendiſſem, ore-

que

que propius ipſi admoto, vini odoı percepiſſem, inſerta faucibus penna c nucum illita, maximum illi concivi ve tum, à quo totam noctem dormivit. I ne cum acutiſſime febriret, ſanguir cum ter alvum ſponte depoſuiſſet, detr erat enim annorum quindecin; etſi om ex artis præſcripto, & à Medico, & à l mina Matre, filii amantiſſima, aliiſ adſtantibus fierent, ægerrime tamen p culum evaſit, ſupervenientibus die ſe mo maxima copia morbillis, ut morbi ſus deinceps tractatus, die tandem vi mo morbi ſeptimo, ſanitati, qua ad fruitur, reſtitutus eſt. Cum jam ſanu pectoris gravitate quereretur, nec cauſ conjicere poſſem, tandem famuli q hactenus celaverant, ex pergula in ſu ctum hortum, altitudine viginti quin pedum cecidiſſe dicebant. Itaque litu guinis Reginæ, cum mumia, ſpermat ti, & carbonibus tiliæ remixto: etiam moleſtia brevi liberatus eſt, poto eo magmate, cum decocto florum tili vino albo.

(

Observatio XVIII.

Nimio veneris uſu tantum non exanimati, morti eripiuntur.

MErcator quidam veneri,ſed licitæ addictiſſimus, cum negotiorum ergo domo trimeſtri,abſuiſſet,ad lares reverſus, cæteroqui plus ſatis uxorius,adeo ſibi conjugique & conjugem &connubium amanti, indulſit: ut laſſus, viribus omnino captus mortuoque ſimillimus jaceret. Uxor timore perculſa lecto ſe proripit, leviſſimeque veſtita me familiarem ſibi Medicum accerſendum curat. Cum alio ad praxim iviſſem moramque mortalem aut periculoſam putarent, inducitur quidam tranſiens qui quod in Calabris natus eſſet, vulgo Doctor Italus audiebat.Hic ex ſene monacho factus novus Medicus, apoplecticum jacentem ſuſpicatus, dubium illud remedium venæ ſectionem imperat.Atqui noſtrates qui ingluvie comeſſationibuſque fere apoplexiam incurrunt, phlebotomia vix unquam curantur, adeo ut centeſimus ægre educto ſanguine evadat. Quæ cauſſa eſt cur prudentiores Medici noſtro cælo ab illa fere abſtineant. Me ingre

gredientejam brachium ligaverat Chirurgus venam pertuſurus, quo juſſo tantillum ex-pectare, viſa urina etſi invitiſſimus uroſcopum agam, obſervato in illa ſemine, dicojacenti in aurem, aut tu gonorrhœa laboras, aut jam cum uxore rem habuiſti. Nollem factum, inquit; nam nimio veneris furore pœne exanimatus ſum. Juſſo auferri vinculo, malvatici hauſtum, quod habebat domi, ſumpto prius dulciario pane, propino; dein capi juſculum cum nucleis pini, piſtaciis, avellanis & capite papaverino ſaporatum exhibeo, & ſomnum impero. Italus iratus jam non apoplexia ſed peſte laborare dicens, uxori jacentis, Ad pollinctores, inquit, mitte, & quæ ad libitinæ rationes ſpectant procura, hodie enim morietur: Ægro adſtantibuſque, Calabrum ſuo uſum idiomate non intelligentibus, parantur quæ juſſeram: unde mox ſopitus, vinoque illo & edulio refectus, ſub veſperam in cubili deambulabat, tum narrato illi Calabri prognoſtico, in riſum cachinnoſque hominem conjeci, monitumque ut alias prudentius voluptates ſuas diſpenſaret, lateribus ſuis parceret; ni evitare & evirare ſe vellet, ſanum ut erat dimiſi, præſcripto tamen

men pro cæna, eodem quod mane ſumpſerat juſculo. Huic ſanguinis miſſio ſine dubio exitio fuiſſet. Cum enim ſemen ſit quinta eſſentia floſque ac cremor ſanguinis in toto corpore optimi, totaque fere Medicorum ſchola Avicennæ ſubſcribat, dicenti plus decedere homini effluente una ſeminis uncia, quam ſi quinquaginta educantur ſanguinis. Fatentur idem Chymiſtæ qui ex vini Rhenani vel Moſellani libris quatuor ægre ſe queruntur unciam defæcatiſſimi ſpiritus vini elicere poſſe. Quid huic futurum fuiſſe putatis, ſi poſt tantam ſeminis tantulo tempore jacturam, multum adhuc ſanguinis, ut fert Italorum mos, eductum fuiſſet. Hic notent juniores Medici, à paucis enim obſervatum invenio practicis; ſemen, pus pituitam, etſi ſæpe eodem candore in urina ſe exhibeant, facile tamen à perito ita diſcerni; ſemen ab aliis ſeparatum circa ſumma nat conſtanter, nec ſidit agitatum, ne quidem in gonorrhœa: pus & pituita fundum petunt, ſed ad minimum motum pus omnino diſſilit, ut viſum pœne fugiat, urinamque galactoidem exhibet. Pituita gyratur: puriformia partim diſſiliunt, partim rotantur; cæterum utraque quie-

ſcente lotio, ſtatim ſubſident, ſemine ſemſemper nante, niſi magnam à virulentia putredinem contraxerit. Putredine enim ſubeunte, ab extraneo calore vaporato conſumpto aere, gravius ipſum fieri neceſſe eſt, atque ideo fundum petere, eique dum moveatur hærere.

Anno 1619. Illuſtris Neogamus amore formoſiſſimæ puellæ, quam jam qnintum deperibat annum, potitus, in arcem milliari à Leodio diſſitam eam ducit, ibi cum amore ſe pulcherrimo ad ſatietatem explet, depleri facultatem animalem, puriſſimamque ſpirituum partem abſumi non ſentiens, Epilepſia corripitur. Præſcribit illi nondum ad ſe redeunti neſcio quæ catapotia, qui ibi habitabat Chirurgus. Advolo interim citato equo, atque à paroxyſmo excitato, album pavoninis excrementis deraſum, in decocto millefolii (erat caſu ad manum) propino, à cujus ſumptione cum aliquot horas liber fuiſſet, iterumque corriperetur, Antepilepticum Sereniſſ. p. m. Ernesti Principis mei, quod oleum Heraclium, qui ingenti pretio ipſi vendiderat, Chymiſta indigitabat, Leodio adferri curavi; quo bis terve ſumpto, per omnem vitam

tam ab Epilepſia immunis fuit. Ejus olei quod ſæpe fidum expertus ſum, deſcriptionem hic ponam. ℞. Vitrioli veneris, aut viridis æris calcinati lib. 1. ß. cranii humani, ungulæ alcis ana ℥ i j, viſci querni, (malim colurnum) ſem. pæoniæ maris ana ℥ j. cum ſpiritu vini rectificatiſſimi lib. ij. digere in retorta & diſtilla ſ. a. Ingratiſſimum eſt hoc oleum & odore & ſapore, ſed miræ efficaciæ, ſi cum aqua convenienti ſumatur. Huic omiſſis univerſalibus, quia ob virium imbecillitatem mortem timebam, ſolis antidotis conſului, monuique meminiſſet, dicere Stagiritam Naturæ ocellum, Synuſiam ſeu coitum eſſe parvam epilepſiam, à parva autem ad majorem proclivem eſſe tranſitum. Proinde cum duraturo igne carpi deberet, ita flammam ventilaret, ut ſciret magno illam motu cito extinctum iri, exiguo foveri. Denique ſæpe cogitatione verſaret Sapientis dictum: *Tunc vacandum veneri cum quis ſeipſo vult fieri imbecillior.* Ipſe cum uxore jam ſaniſſimus vivit multarum pulchrarum prolium, pulcher pater.

Observatio XIX.

Ebrius pro Apoplecticο male quatriduo tractatus, repente ſanatur.

ANno 1614. Viri ætatis jam conſiſtentis, epulis Leodii publicis quas pſittacum jaculati Menſe Maio celebrant, adhibitus, cum plurimo vino cerviſiaque permaduiſſet, ad hortum cum contubernalibus ductus; tres interim vini rubri menſuras abſorbuit, unde ad ultimam ebrietatis perductus lineã, cum à puero equum adaquatum ducente, leviter adliſus, in terram ſupinus cecidiſſet, atque adſtantium aliqui Apoplecticum, alii mortuum clamarent; puero ſuga ſibi conſulente, domum refertur. Vocatur Medicus ſanguine ipſi junctus, qui triduo illum pro apoplectico, cum irrito conatu tractaſſet, me die quarto ad conſilium vocat. Viſis in cubili, præter Medicum duobus Minimis, & totidem Chirurgis, menſamque obſervaſſem capacem, trepanis abaptiſtis, modiolis, forcipibus, ſpecillis, omnique Chirurgorum ſupellectile inſtructiſſimam. Quid hic, inquam, agimus? Tum Medicus; Apoplectico huic,

huic, quartum jam diem ut vides jacenti, trepano calvam apefire decrevi, cæterum quia te Anatomes peritiorem ſcio, vocandum duxi, ut trepani locum deſignes. Accedo ad ægrum cujus caput raſiſſimum ab utroque Chirurgo, nec umbram quidem pili ſibi ſervaverat : quod cum curioſiſſimis utriuſque manus digitis totum pertentaſſem, neque vel minimæ læſionis volam aut veſtigium reperiſſem, pulſu etiam utriuſque brachii cum optimo rhythmo deprehenſo, reſpiratione nullo modo impedita, cum omnimoda ſtertoris abſentia, ſummaque anhelitus libertate; uxorem rogo temulentumne vinoque addictum maritum habeat ? & ipſa & aliis jurantibus, ipſum ante illam diem numquam viſum ebrium, abſtemioque proximum vixiſſe; quod res erat conjectans : graviter adſevero rem carere omni periculo, patientem hunc non egere trepano aut alio chirurgiæ, vel medicinæ inſtrumento. Quintum ſectionis quintæ aphoriſmum ad ipſum ſpectare, qui ſic habet : *Si quis ebrius obmuteſcat, convulſus moritur, niſi febris incidens hunc corripiat, aut quo tempore crapulæ ſolvi ſolent, vocem edat.* Certo mihi conſtare, ebrium hunc qui re-

pente obmutuit ad hanc diem, nondum convulſum, nec febre correptum, mortem evaſurum, ſi modo ab ebrietate excitetur; ſtatimque myſtacis pilos, quando in capite nullus relictus, valide vello; Ille mortuo ſimillimus, pugno clauſo colapum capiti meo ſi poſſet impacturus, brachium commovit, &, tu ſceleſtiſſime, inquiens; quid barbam mihi vellis? Ego vero, inquam, non tantum vellam, ſed momento partem evellam, niſi in lecto ſederis, oculos aperueris, vivere te valereque teſtatus ſis. Ipſo ut prius quieſcente, validius barbam laceſſo, tum ille commotior & valde jurans, pede lecticam pulſans, ſcandulam ejus, feneſtellæ magnitudine æmulam avellit, ac in terram deturbat, atque in lecto ſedens, ſi, inquit, tertio barbam meam tetigeris, ego manibus meis fauces tuas elidam. Tum ego, vidiſtine unquam Domine Medice, Apoplecticum ita jurantem, & Medico ſoſpitatori ſuo exitium minitantem? Omnibus in riſum & cachinnos effuſis, quibuſdam uxore maxime & amicis, præ gaudio lacrumantibus, Chirurgi ſupellectilem ſuam convaſant, dolentes ut ajebant, ſex ſibi ſeptimanarum laborem periiſſe. Illis digreſſis, jubeo

ægrum

ægrum optimo juſculo refocillatum, ſomnum captare, atque de ſalute ſecurum eſſe. Miranti Medico aliiſque dicentibus, quis unquam vidit ebrietatem quatriduanam? Reſpondi conſulerent Galeni in citatum Aphoriſmum Commentarium, qui ibi ait, *pro vini conditione, ægri peculiari natura, loco & tempore ſolvitur ebrietas quibuſdam ſecundo vel tertio die, vel ſerius, prout craſſo vel tenui vino incaluerunt. Aliis in locis eſt ſex vel ſeptem, vel pauciorum horarum temulentia, ab aſſuetis enim parva fit paſſio.* Inaſſueti autem ebrietatis certum tempus non habent. Poſtridie ægrum in limine domus ſaniſſimum reperi, tantum de depilatione querentem: reſpondi, pilos, in horas redituros, juſſumque bonis alimentis uti, ſanum ut erat dimiſi. Memini cum in Anglia ante annos viginti ſeptem, die aſſumptæ Virgini ſacro, ob memoriam olim conſpirationis Fratrum Gory eluſæ, Rege regium convivium celebrante, adhibito menſæ cum Domino meo, Brunſuicenſium Ducis Legato; eoque majoribus invitato poculis, & bibebant vinum Hiſpanicum, quod Regi erat in deliciis, è ſcammo delapſo, & pro mortuo jacente, in vicinum delato

 cubi-

cubiculum, quidam ſempervivi ſucco, aceto acri, nitroque noſtrate mixtis, ſcrotum adeoque totum pudendum involvit, ſicque ebrietatem ipſius, gravedinè tamen capitis relicta, minimo tempore diſcuſſit, ab eoque quinquaginta Thaleris donatus; lætus mirante tota aula abiit.

Observatio XX.

Hæmorrhagia ſurſum, deorſumque ingentiſſima curata.

VIr Leodii primarius, quadragenario major, rixa inter ſe & ſocium nata; ſclopeti majoris tubo (muſquetonem vocant) in thorace, circa cordis regionem contuſivo ictu percutitur, ſub quintam pomeridianam. Noctu ira æſtuans inſomniſque mira agitans conſilia, mœrens ſibi inermi, & hoſte tribus ſclopis inſtructiſſimo, qui etiam famulum habebat iiſdem ſecum armis munitum, tantam vim illatam. Mane curarum irarumque plenus domum egreſſus, ſub meridiem rerum ſuarum ſatagens, in publica platea lipothymia corripitur, & niſi parieti nixus, à ſocio adjutus fuiſſet, in terram ruiturus, vici-

ni

ni ædibus excipitur, vix ſedili ad ignem impoſitus, tres præter propter ſanguinis libras vomitu reddit. Erat ſanguis ut obſervavi glomeratus, niger, fœculentus, ſaporis ut dicebat acidi, odoris tetri. Vomitu illo multum levari ſibi viſus, domum defertur. Accerſor ſubito, menſæ jam accubiturus, urgente famulo, niſi properarem, me ipſum inter vivos non inventurum. propero itaque, primoque in limine jacentis, triſtem familiam deprehendo: Nam & uxor ejus, marito certam ſibi perniciem præſagiente, in cubile proximum ſeceſſerat, ibique inter obſtetricantium manus, trimeſtrem fœtum mortuum, vel nondum animatum, immatura parturitione ejecerat: Ægri cubiculum ingreſſus, pietati vacantem, animamque confeſſione expiantem, offendo. Vix obliqua tuentibus hirquis ingredientem viderat; Salve inquit amiciſſime, ultimum me viſure. Contrectato pulſu, oculorumque vibranti fulgore notato, bono animo eſſe jubeo. Quidni, inquit, de vita deſperem, cum Pragæ in Cæſarea, Madrydii in Hiſpania, Romæ in Pontificia aula, tales & tales, paucis à vomitu ſanguineo horis expiraſſe viderim aut certe ſi qui purpuream animam non vo-

muiſſent, longæ tabi, & certe phthiſi ſervatos miſere tamen obiiſſe, & tu, inquit, num quid non ita pridem rogante me, quid de vicini mei ægritudine ſperares, neſcio quo verſu recitato mortem illi quæ paullo poſt ſecuta eſt prædixiſti? Dixi verſum eſſe Ovidii,

Cernis ut è molli ſanguis pulmone remiſſus,
Ad Stygias certo limite ducit aquas.

Aliud eſſe ſpuendo cum tuſſi ſanguinem ſcreare floridum, flavum, ſpumantem, vel ſpumam verius; aliud craſſum cruorem vomitu deplere; priores, læſo pulmone tabeſcere, hos lienis ſacrina depoſita ſanari, lætioreſque vivere. Rogavi deinde num proximis diebus ſiniſtri hypochondrii dolorem ponduſque ſenſiſſet? quo annuente hæmorrhoidibus apertis unquamne, inquam, laboraſti? & hoc adſeverante, ſe ſcilicet multis continuis annis illis vexatum, toto jam quadriennio nullam inde moleſtiam expertum. tum ego de ſanitate ipſius ſecurus, clyſterem injici jubeo, qui cum ingentem ſanguinis copiam grumoſi, quam capax vix caperet matula, eduxiſſet; vides, inquam, idem per anum quod per os te reddere: atqui thoracis vel pulmonis ſanguinem aut pus, etſi aliquando per urinas ex-
cer-

cerni contingat, numquam tamen in tanta copia, cum nulla valorum ſit communio, per alvum expurgari poteſt. Tandem in ſpem erectum, jubeo leviter purgari, ut ſimul & ſemel motu moleſtiaque ſe liberet. Do itaque mannę Calabrę, quod ſatis videbatur, cum & illa ſanguinem ventriculo adhærentem everriſſet, paucíſque poſt horis, fecibus conſueto colore prodeuntibus; ipſe ſe omni periculo defunctum credidit, moxque, de cujus ſandapila cogitabatur, domo egreſſus, qui mortuum ambulantem videbant, vel riſu, vel admiratione proſequebatur. Suaſi conſueta ſibi opiata cordiali, ad plures dies uteretur, & ſi quid circa præcordia, aut hypochondria moleſtiæ ſentiret, hæmorrhoidum apertionem, vel ſumpta per os aloe non lota, vel peſſis appropriatis educeret, eorumque fluxum ſi modicus eſſet, ad aliquot dies pateretur. Hic non celabo quod poſtea à Caſtrenſi quodam Paſtore edoctus ſæpiſſime expertus ſum: Si quis hæmorrhoidum cæcaium inſano dolore torqueatur, minimum quid ſcrophulariæ, vel radicis, vel foliorum, cum cibo aut potu capiendo, ſtatim dolore liberatur, ſive ipſam plantæ ſubſtantiam ſiccam aut viricem, ſive decoctum ejus adſumat.

Observatio XXI.

Ex caſu Apoplecticorum miræ curationes.

ANglus ſexagenarius, virginum Anglarum Leodii agentium, ſymphoniæ organiſque præfectus, media quadrageſima ebrius, in penuarium hoſpitii pugilum, in quo potarat, delapſus; occipite contuſo, oſſe tamen calvariæ integro, vera, & forti apoplexia correptus fuit. Convenimus ad illum quotquot Leodii erant Medici: omnibus qui aderant illum deſperantibus, atque ſoli prognoſtico relinquentibus, Rogavi Patres, & Virgines Anglas quæ aderant, quibus tum ordinariam medicinam faciebam, paterenturne me aliquid tentare, remediumque nullo modo anceps experiri? Illis annuentibus valide concuſſo & agitato clyſterem acerrimum injicio, quo duabus horis ceſſante, & glande acri evocato cum inſigni evacuatione toti capiti raſo, cataplaſma, ex fimo colombino, euphorbio, pyrethro, ſinapi applico; hinc multæ magnæque veſicæ cum ſe ſurrigerent, omnibus forpice ſectis,

ctis, aquæ flaviſſimæ plurimum efflu-
xit, ſuperpoſitis rubrorum caulium con-
tuſis foliis, multa jam nocte domum re-
deo.

Poſtridie ſpecierum hieræ, colocynthi-
dos dragmas duas, caſtorei dragmam ſe-
mis, rutæ ſcriptulum, cum aqua antapo-
plectica propinavi: quæ potio cum ex voto
ſucceſſiſſet, cucurbitulas humeris cum ſca-
rificatione applicui, unde minuto ſtertore,
ſalivaque circa os omnino ſiccata, in ſpem
erectus, veſicis capitis non amplius fluenti-
bus novas in nucha & vicinia, ſed ſolis cu-
curbitis excito; quod quando meum in-
ventum eſt, neque quod ſciam ante me cui-
quã uſitatum, libenter vobis communico.
Capio latioris cucurbitam vitream, aut vi-
trum humilius quo Moſellanica, aut Rhe-
nana vina ſorbemus, illis ſtuppa ardente ut
ſit munita, ubi libet applico; cum per horæ
quadrantem hęſerunt, detraho, novamque
cum flamma, quam poſſum maxima,
ſtuppam adpono, paullo poſt in juniori-
bus & euſarcis, (in ſenibus aut denſa cu-
te præditis tardius) veſiculæ ſurgunt,
par varum acicularum capitella vix æ-
quantes; quibus omnibus horæ ſpatio
coeuntibus, ſurgit veſica maxima, & orifi-

cio cucurbitæ, aut vitri, par vel major. Tum ſi vas vitreum, quorum multa huic uſui paravi, non habet foramen cera obdu-ctum, quo acu perforato, flatu exeunte ſponte ſua cadit, plerumque vitrum cultro percuſſum frango, alioquin veſicam dum manu avellitur lacerans, dolorem ſævum excitat. Hinc educta ſemper magna aquæ copia, eſurialibus diebus caulis folia, extra quadrageſimæ tempus, macram muſculi bovini carnem adligo, tandiu, dum illa vi-rore & fœtore amovendam ſe indicet. Hoc modo innoxie & intra horarium ſpatium, certo certius ſurgnnt veſicæ, cum omnia alia veſicantia, poſt multas horas ſæpe ſpem noſtram eludant, morbumque vel pro-craſtinent, vel contumacem aut etiam in-victum reddant.

Quarta demum nocte cum naturaliter dormiſſe viſus, jamque liberius reſpiraret, neque tamen oculos aperire, aut ulla ſenſus vel motus ſigna edere poſſet, alimentis convenientibus maxime decocto cicerum, & tenui mulſo, pro potu præſcripto, totum occiput ſpinæque medullam, aqua catarrhali cum petroleo remixta, perunxi; pleriſque horum remediorum ad vigeſimum

diem

diem continuatis, addendo etiam in cibo & potu balſami Peruviani, aut olei ſuccini aoſmi guttis, aut olei roriſmarini ſalviæque, chymica arte educti; cum interim aliquoties alvus bonis juſculis & melicrato rigata, jam ſponte officium faceret. Die vigeſima prima, oculos aperit, caput leviter motat, & jam carpis, temporibuſque pulſus redierat, ita ut de ſalute ejus jam ſecurus, rogarem num loqui poſſet: Eii reſpondit, quod Anglis Ita ſignificat. Cæterum cum urgerem, aliud quid pronunciaret ; nec illo nec altero die, ſyllabam extorquere potui, ipſo quoties aliquid dicere jubebatur, amariſſime flente. Suſpicatus de paralyſi muſculorum linguæ, aqua antapoplectica, cui infuderam ſinapi. ſtaphidem agriam, baccas lauri, pyrethrum &c. os continuo collueret imperavi, cum liberiorem linguæ motum notarem, dixi recitaret orationem dominicam, cum ille cancellatis manibus, oculis ſurſum verſis, tantum, quantum ad hanc diem non vidi lacrumarum imbrem profudit, ita ut jam & ſi loquelæ uſum habuiſſet, nimio illum fletu & ſuſpiriis, amiſiſſet. multo poſt cum lacrumas abſterſiſſet tempore : ſequere, inquam,

me dicentem, dic Pater noſter: Ille hianti ore & tanquam aëris aucupio intentus, ſæpius ut Pater diceret ſollicitatus, primam tandem protulit ſyllabam, deinde alteram, eodem prorſus modo quo pueri Abecedarii. Sic paulatim redeunte quam penitus amiſerat reminiſcentia, & muſicam, & fidium peritiam recuperavit, decimaque demum à caſu ſeptimana, conſueta vitæ munia integre obivit. Simili fere modo mulierem curavi; niſi quod huic ex octo gradibus delapſæ in occiput, cum nec concuſſione, nec pilorum vulſione ſeptem qui aderant Medici, ullum ab illâ vitæ ſignum extorquerent, aciculam prælongam inter pollicem pedis ſub ungue adegi, è cujus dolorifico ſenſu excitata, momento citius, magno clamore edito in lecto conſedit, ſed paulo poſt iterum concidit, at mox ad ſe rediit, antapoplecticiſque remediis adjuta intra diem ſeptimum omnino convaluit. Neutri ſanguinem detraxi, quia plethoræ ſuſpicio nulla, & utrobique cacochymiæ ſigna manifeſtiſſima. Tertium curavi Apoplecticum Anglum in cujus caput, magnæ portâ, cum trabe cui adhærebat, deciderat. Illius capiti raſo poſt univerſalia impoſui em-

emplaſtrum Alexandri Benedicti, quod etiam Franciſcus Valeriola commendat obſervatione 9. lib. 5. quod quia fidum inveni, hic deſcribam. ℞. Gummi hederæ, ceræ, terebenthinæ ana uncias tres, reſinæ purgatæ ſemunciam, ſucci corymborum hederæ uncias quatuor, ammoniaci uncias duas, olei roſati uncias duas ſemis, farinæ fabarum q. ſ. f. cerotum.

Observatio XXII.

Errores aliquot Chirurgici mortiferi.

GAllus agyrta Leodium venit, lithotomum profeſſus, herniarumque curam, filo aureo certiſſimam pollicens. Huic cum plurimi ſe crederent, rogatus à patre alutario, adſtarem vincturo epiploonflioli ſui, in ſcrotum delabens. Adſto, filum non jam aureum, ſed ferreum mercurio crudo oblitum, in inguen pueruli trimi agenti. Videris, inquam, altius, & juſto, & ſolito, mihi adigere. Quæ tua ſunt, inquit, cura, ego quæ mea ſunt rite exequar. interim filum, ejulante multum puero, valide torquet, ſed quod commiſeratione digniſſimum, inteſtinum ileum in vicina cæci, una comprehendit,

itaque vincit, ut negato per inferiora fæcibus exitu, per os ejectis ſtercoribus, ileoſus factus puer, periſtaltico inteſtinorum motu mutato, animulam inter mille tormenta cum fœtore & cruciatu ejecerit die à ligatione quinta. Mortui cadaver aperiens, inveni inteſtinum, qua parte ligatum fuerat, unoque ſupra infraque ligaturam digito omnino gangræna infectum & jam putre. Hunc poſtea Turnoni ſimilium ſcelerum pretium, crucem tuliſſe, certo nuntio accepimus. Utinam ſceleroſos iſtos, ſub Medici titulo carnifices, ſæpe à Jove lotos, à Sole unctos audiamus.

Tum fueris mihi Fama bonum; tum nuntia recti.

Adſtiti alteri qui uterum ad magnitudinem ovi anſerini prolapſum cum ſectione curaturum ſe diceret, nec ullis argumentis meis, qui aliam curandi viam proponebam, cederet; Roganti etiam, ut ſaltem in uterum prolapſa inteſtina, vel quicquid eſſet, duriſſimum enim ſe tactui offerebat, aliudque quam aquam aut flatum eſſe; certo certius adfirmanti, primum loco ſuo, ſupinata muliere, reponeret; nec quicquam ab eo præter mala verba referrem; Fac, inquam, quod facis, mihi ty-

ran-

rannicam illam audaciam & imperitiam, ſpectare nec libet nec licet. Nondum domo pedem extuleram, cum immani clamore & ejulatu introrſum vocor. Convellebatur vehementer à ſectione patiens, cumque animam non dubie agentem viderem, extremam unctionem adferri jubeo, ſed ſerius; expiravit enim in fine ſectionis, in qua adſtantibus omnibus, vel fuga ſibi conſulentibus, alvina enim copioſe prodibant excrementa, utero cum contentis, in aquæ adſtantem ſitulam projectis & lotis, inteſtinum colon ad cubiti fere longitudinem ſectum, omnibus viſendum præbui.

Alius Chirurgus Trajectenſis cum in pago, inteſtini tenuis pluſquam ſpithamam ſecuiſſet, omentum amputaſſe ſe jactitans, nobis ob alium caſum eo vocatis, gloriabundus oſtentabat, dicens ſe potione medicata, ſibi uni cælitus communicata, & quam præter ſe nullus ſciret hominum, intra dies paucos vulneratum hunc curaturum. Ego re animadverſa, dico hoc non omentum, ſed inteſtini partem eſſe. Illo & ſocio quem trahebat Medico ſtrenue negantibus, caſu tranſeuntes lanios rogo quid id eſſet ab illis ſectum. Illis cum riſu dicentibus, & ancillas ſuas, &

pueros

pueros facile hoc inteſtini eſſe fruſtum agnituros, videamus, inquam, vulneratum: vix eo venimus, cum forti convulſione tentatus, non multo poſt obiit. Piget referre ineptias Medici, excuſantis ſocium, cum dicerem illum non vulnerantis, ſed Chirurgi manu occiſum. Inter alia dicebat, poſſe ſubſtitui ſilanum ligneum, vel tubum ferreum in locum inteſtini ſecti. rogatus quomodo utrumque tubum adnecteret? filo, inquit: & ſi hoc, inquam, putruerit? tum filo, inquit, utar æneo. at qua, inquam, parte adnectes? Hinc inde, inquit, ad latitudinem digiti avellam à meſenterio, & facile ligavero. At in illa, inquam avulſione, ſanguinis guttæ neceſſario ſtillabunt, quibus, ut in omni extravenato ſanguine neceſſario accidit, putreſcentibus, quomodo febri quæ dum pus conficitur, intendetur, reſiſtes? quomodo, ne vicina ſimiliter ſuppurent, impedies? Facillime, inquit. Ego inſaniſſimarum ineptiarum pertæſus, exclamavi hæc Marcelli Palingenii.

O miſeræ leges quæ talia crimina fertis!
O cæci Reges qui rem non cernitis iſtam!
Vos quibus Imperium eſt, qui mundi frena tenetis,
Ne tantum tolerate nefas; hanc tollite peſtem.

Et

Et quæ præcedunt, quæque ſequuntur, in Medicaſtros ineptos.

Vidi alium qui thoracis muſculum inter quartam & quintam coſtas ſecturus) quanquam ego ſemper maluerim longa experientia edoctus, intra quintam & ſextam fieri, vel potius infra membranam quæ ſextam inferne veſtit) ipſum pericardium omnino perſecuit; unde lipothymia correptus, redeunte poſtridie Chirurgo, mortuus inventus eſt. Vivit etiam nunc Leodii Sutor, qui à perito Chirurgo me jubente cum animam ageret ſuffocandus à nimio pure, inter quartam & quintam ſectus, vigeſimo poſt die, infra ſextam ſecari debuit, tumque brevi convaluit. Vidi alium ſenem & maximi etiam dum hæc ſcribo nominis, eandem ſectionem molientem, foramen in dextra parte feciſſe, tam capax ut facillime tres meorum digitorum illi immitterem, unde & vena Ajuga, & aliæ ſectæ, tantum effuderunt ſanguinis, ut miſer inter Chirurgi manus expiraverit. Sed fidem pene ſuperat quod ſequitur: Quidam antea bis in capite vulneratus, quo loco ſagittalis coronali jungitur, bis trepanum paſſus & curatus, poculo feritur in capite, illo ipſo in loco, qui inter duo trepana

pana medius erat; vocatur Chirurgus audaciſſimus & imperitiſſimus, quique factis ſuis teſtaretur veriſſime ſcripſiſſe Hippocratem in lege: *Imperitia malus eſt theſaurus, malaque opes recondita, ſecuritatis animi & lætitiæ expers, timiditatis & audaciæ nutrix.* Ille, ut erat amantiſſimus poculorum & magnus helluo, appoſito ovi albumine, bolo & ſtuppis, biduo læſum non videt. Interim læſus utroque brachio, cruribuſque captus, voce etiam amiſſa, mortuo ſimillimus jacebat. Vocor rus ſeſquihora Leodio diſſitum: viſo læſo Chirurgum accerſendum curo, quo nuſquam invento, à fabro ferrario, inſtrumenta quæ habet chirurgica peto, quibus cum poſt ablationem ſicciſſimarum ſtupparum, os depreſſum levaſſem, (quo depreſſo ut ſcribit Gal. lib. 1. de Placitis Hip. & Plat. non longe à principio, graviſſima ſequuntur incommoda, corpuſque univerſum ſenſu motuque, ſpiritu, & voce, protinus ſpoliatur,) ſtatim vocem, membrorumque uſum recuperavit, atque in lecto ſedit. Me digreſſo, monitiſque adſtantibus quid vellem Chirurgum facere, ille reverſus os à me nullo conatu ablatum, nec enim adhærebat, repoſuit, eademque quæ prius

impo-

impoſuit; ſecutis quæ præceſſerant ſymptomatibus, iterum vocatus, eodem quo prius ſucceſſu eadem facio, cæterum os mecum defero. Ille nullo negotio os iſtud quaſi hoc ad curam quicquam faceret, ſe conferruminaturum ruſticis pollicetur. Veniunt ad me qui os repetant, reddo; Ille cranio rurſum aptat, & neſcio quomodo hominem occidit. Biduo poſt accerſor à Magiſtratu loci cadaver viſitaturus, invenio ſub oſſe foraminulum, quod dura piaque matre tranſitis, in os baſilare deſinebat, præſentibus aliis Chirurgis quæ præceſſerant narro, (nam qui curaverat non comparebat) fatentibus omnibus non niſi tenuiſſimo ſpecillo, vulnuſculum illud pridie mortis quam tertium tranſibat cerebri ventriculum, inferri potuiſſe. veriſimile cenſui, ipſum, ut ſemper erat, ebrium, ſpecillo ita miſerum jugulaſſe, dum os ſe poſſe reponere ſtulte credit, & ſtolide jactat.

Vidi alium in ſiniſtra nate cultro vulneratum: cui cum vagus Chirurgus natione Maurus Chymicus, vel ut ipſe ſe vocat Edelphus, quotidie bis oculos cancri pulveriſatos, quos pro unionibus venditabat, ex aqua florum tiliæ propinabat, unde ille tantum fundebat

debat ſanguinis, ut animo linqueretur. Accitus cum D. Michaele Ogero, dixi huic tantùm opus eſſe alio Chirurgo, qui ex arte vulgari vulnus curaret, ſanguinem enim, omiſſis cancri oculis, non fluxurum. Hic namque ſola illa potione omnes curabat, vel potius necabat, vulneri autem quocunque loco eſſet, nec turundam imponebat, nec ullis utebatur balſamis, oleis vel emplaſtris, nudam ceram digitis ſuis leviter mollitam applicabat: mutato Chirurgo ordinariam praxin faciente, brevi evaſit vulneratus. Idem Edelphus Nobilem Juvenem, gladio ſub brachio ſiniſtro læſum, ictu in thoracem penetrante curans: quicquid quinque præſentes clamaremus Medici, Chirurgis aliis multis ſuffragantibus, numquam coſtæ apertionem admittere voluit, certam ſalutem potione ſua pollicens. Cum hanc potionem ſedecim dies bis quotidie bibiſſet, nullo profectu, jamque pure thoracem diſtendente, reſpiratione pæne ablata, morti eſſet proximus; Pater qui ex priore toro, aliam non habebat prolem, de morte unigeniti anxius, Medicos revocat; quibus, reclamante Edelpho, latus aperientibus, maxima puris per intervalla educta

ξta copia, æger melius habere ſe dixit. Cæterum tot dierum ſpatio, pulmones puri innatantes, illius tantum imbiberant, quantum tuſſi perpetuæ, tabique inducendæ, ſufficeret. Miſer enim nobilis quicquid peritiſſimi artis tentarent, in horas macreſcens; tandem quinto poſt anno phthiſicus obiit; qui mature ſectione thoracis facta, ſervari poterat. Auſim ſincere affirmare, vidiſſe me plures centum in ſimilium circumforaneorum manibus expiraſſe, qui ab aliis nullo negotio curati fuiſſent. Inter cæteros quidam Oenopolæ famulans vietor, dolium caſurum dum dorſo fulcire conatur, graviter ſpinam ſuam lædit: vocatus Edelphus, ut omnibus, intra decendium ſanitatem, & in Palatii area ambulationem pollicetur. Accitus ego brevi convellendum præſagio, delirium imminere prædico, mortem denique, paucis poſt diebus ſecuturam; cogitarent de ſepultura, quam huic Auguſtanam confeſſionem profitenti, ægre invenirent Leodii. Quinto die mortuus poſt convulſionem & delirium, Aquiſgranum tumulandus delatus eſt. Huic veriſimiliter ſuccurri poterat, ſi Edelphus remedia applicari ſpinæ læſæ paſſus fuiſſet.

Anno 1606. quidam ipſo Pentecoſtes die, muſquetum exoneravit; crepante tubo, pars ejus ſex pollices longa, ſeſqui digitum lata, per narem ultra auriculam ſub pericranium ipſi adacta; quod cum Chirurgus etſi ſenex, non animadvertiſſet; narem, genamque contiguam conſuit, ferro ſerrante intus relicto; dum illi medetur, quoties faciem tangit, ſanguinis plurimum, ferro acutiſſimo carnem ſcilicet ſcindente, emanabat. Nono die mortuum, nec enim vivum vidi, viſens, ſectis à Chirurgo ſuturis, cum illum roſarii apicem frangentem viderem, admotis digitis ferrum educo. In fugam ſe proripientem Chirurgum, Gubernator urbis ſtricto gladio ſequitur, certo aſſecuturus, niſi ego aliique obſtitiſſent. Hunc educto ferro vel ſerra potius curari potuiſſe certiſſimum eſt, inſano enim dolore, & nimia hæmorrhagia enectus eſt.

Id quod ſequitur dubito riſune an commiſeratione proſecuturi ſitis. Anno 1608. venit ad me Iuvenis ruffus, temperamento cholericus, lacerrima, & altis rimis pervia per totum corpus cute, non aliter quam ſi clatris ferreis acutiſſimis, cannabis aut lini inſtar, pe-

xus

xus fuiſſet. Credebam illum lepræ à me indicium vel conſilium petiturum, illo enim leproſiorem per omnem vitam vidi neminem. Quid, inquam, me rogas? an inunctione hydrargyri, inquit, quam morbo meo debellando Chirurgi mihi neceſſariam dicunt, uti debeam. Re ab initio examinata, invenio illum apud ſeptem Chirurgos, guajaci decoctum ſepties, qualibet vice, ad dies quadraginta potaſſe, cumque initio parum mali haberet, tam longo guajacinæ ſcobis potu, tantum non perfectam lepram incurriſſe. Sæpe obſervavi melancholicos, quibus hepar æſtuabat, nimio guajaci uſu elephanticos factos: alios, qui cali iori eſſent hepate, niſi dilutiſſimum potum ſumerent, eumque ex ligno longe à cortice remoto concinnatum, Icterum aliaque mala ſæviſſima ſibi peperiſſe. Quod & huic accidit, qui cum initio ſolo ardore urinæ teneretur, minimiſque in glande puſtulis, cum nullo negotio obolari medicamine curari poſſet, quinquaginta ſex duplicibus Ducatis (tot enim Chirurgis numeravit,) tantum moleſtiarum, dolorum, morborum, adeoque ipſam fere mortem mercatus ſit. Cum ſancte adfirmaret, nunquam ſe Go-

Gonorrhœa, Bubonibus, tophis, calculis, laboraſſe, cum pridie quam Chirurgum adiret, recenti & male defæcata cerviſia ebrium, cum ſcorto non vulgari & ſano coiviſſe; dein in pejus ruiſſe. Ego quod res erat conjectans; huic calidiſſimum à natura hepar habenti, tantum tot calidis potionibus, caloris & ſalſedinis acceſſiſſe, ut hepate fere cinerato, leproſus videretur. Iubeo illum quotidie mane ſumpta ſeſquidragma cryſtalli montani præparati, cum ſuccis fol. nymphеæ, ribes & berberorum; (à ſyrupis enim & conſervis, conſulto abſtinendum duxi, quod & in peſte, febribuſque omnibus, & dyſenteria facio, ſaccaro enim facile bileſcente, febri, fluxuique dyſenterico, pabulum præberi certo ſcio) ſuperbibere ſeri lactis, cum tantillo ſalis prunellæ, quantum poſſet. Deinde in ſtramineo lectulo, ſub altiſſimo molendino, ſufflaminato hunc in uſum, jacentem, ſtillicidium ex alto in hepatis rogionem cadens excipere aquæ gelidiſſimæ, neque motu, neque ſolaribus radiis calefactæ. Hoc cum mane & ſeſquihora ante cœnam, aliquot dies feciſſet, ſaniſſimus & pulcherrimus factus. Ego maximis ab illo promiſſis onuſtus, expectabam ut

ut qui in carnifices ſuos tantam pecuniam profuderat, me ſoſpitatorem ſuum, nullo fere facto ſumptu, liberali mercede donaret, fit mihi obviam, in templo hujus urbis primario, vix agnitum ex ſolo crine ruberrimo (tantum mutatus erat) ſalvere jubeo, cum ſanum ſe undiquaque diceret; rogo quid mihi pro tam ſalubri conſilio dare decreverit? Ego, inquit, cum ad Moſam me mitteres, realem tibi dedi, valet paullo plus duobus batziis, ſi quid aliud (notate hominis bilem) me extra templum rogares, pugionis tibi ictum infligerem. Tum ego ad ſocium Chirurgum converſus, vide inquam quam vere puer olim admodum, cecinerim;

Tres Medico vultus; nam primum quando vocatur,
Jam jam adjuturus, creditur eſſe Deus:
Inde ubi ſe paullum morbi violentia fregit,
E ſupero Genius, creditur axe datus:
Sed cum curato poſcit ſua præmia morbo,
Non Deus, aut Genius, ſed Cacodæmon adeſt.

Vivit adhuc ingratus ille, jamque uxorem, & adultas proles multas alit.

Anno 1629. ſub finem Martii viſitavimus mortuum ex vulnere femoris cum omnimoda oſſis fractura. Inveni-

mus os etſi peſſime repoſitum, ex parte tamen coaluiſſe. Maxima & acutiſſima oſſium fragmina in vulnere relicta, ad minimum corporis motum dolores læſo ſummos concitabant, navamque movebant hæmorrhagiam, unde poſt longam atrophiam, gangræna totum crus occupante, ſeptimo à vulnere menſe, mortuus eſt. Lites ſecutæ ingentes quarum nondum finis, nec futurus, niſi ambæ partes longo ſufflamine litis, rem attriverint. Chirurgi enim ex vulnere mortuum, jurati teſtabantur. Negabant Medici, dicentes à perito artis curari potuiſſe, nec ullum vitæ, ſed claudicationis periculum adire potuiſſe. Ego arbiter à Dominis meis Scabinis adhibitus, miſi ex tempore qui Hippocratem meum domo adferret, ſtatimque exhibui textum qui eſt lib. 1. de morbis ſect. 5. paullo poſt initium. *Hæc autem cum fiunt ex neceſſitate contingunt, in vulneribus quidem ſi craſſi nervi, & muſculorum capita in femoribus præſertim vulnus acceperint, neceſſaria eſt claudicatio. Moritur etiam ſi quis vulneratum habet cerebrum, aut ſpinalem medullam, aut jecur, aut ſeptum tranſverſum, aut veſicam, aut venam multum ſanguinem effundentem, aut cor.*

Ex

Ex vulneribus autem minime mori contingit, ſi his partibus vulnus acceptum non fuerit. Hæc verba omni luce clariora, quonam legulei litterarum aucupes torturi ſint, tempus nos docebit.

Observatio XXIII.

Hæmorrhagiæ in Spa raræ.

ILluſtris Domina, in Spa ab aquis Ictero quo valde tenebatur remedium quærens, potis aliquandiu aquis, è minimo dextræ manus digito per intervalla ſanguinis magnam emittebat copiam, ita ut juraret ſe toto illo die (fluxerat enim à mane ad veſperam) plus quam duodecim libras medicas emiſiſſe. Sed & hoc ante Bruxellis ſæpius ipſi contigerat. Fluentem ſanguinem nihil unquam ſiſtere potuit, nil ligaturæ, revulſiones, omnis generis res applicitæ, non colcothar, non ipſum quo uſa alias fuerat, candens ferrum profuere. Cum fluere deſierat, locum unde fluxerat nemo illo ſenſu deprendere poterat. Poſt ſolemnem illum fluxum, ictero & hydrope creſcentibus, perfrigerato nimirum hepate, cum negarem aquas noſtrates ipſi profore, ad ultimam

mam virium imbecillitatem perductæ, ad aulam cui à cunis innutrita fuerat rediit, ibique non multo poſt è vivis conceſſit.

Nobilis Flander in Spa, quoties mane à fonte rediens ſudabat, ſub utroque brachio induſium ad manus longitudinem, ſanguine tingebat, adſtiti rogatus ab eo ſudanti, curionibuſque oculis obſervavi, è poris guttatim prodeuntem ſanguinem, quem cum leviſſime prioribus digitis libarem, ſolidiuſculum aliquanto concretoque ſimilem unguibus educebam, ex aliquibus pororum alæ vicinioribus. Quem cum penitius examinarem, pedicillos offenpebam ruberrimos, quique niſi diu vivere ſinerentur, ad exiguum tactum tabi inſtar, diffluerent, rogavi an ficuum aut caricarum eſu delectaretur? reſpondit ſibi in quotidianis eſſe delitiis, nullas ſine illis ſecundas apud ſe eſſe menſas. Subjeci Gal. lib. de euchymia & cacoch. dicere caricas diutius in corpore immorantes, mali eſſe ſucci & pediculorum copiam producere; cum nucibus autem & amygdalis ſumptas, cibum eſſe præſtantiſſimum, & qui obſtructiones aperiat. Huic pernimis raram cutim, cambium thoracis muſculos nutritu-

rum

rum ſi juſto tempore adhæſiſſet : validiori exercitio expulſum, rubore induſium inficiebat, cum ſanguis ſit ultimum alimentum in alitis : & quia pars ejus alta quadam putredine contaminabatur, propter caricarum carnem putredini valde obnoxiam, ideo animabatur, & pedicillos producebat. Suaſi à levi Pharmaco, adſtringente aqua locum ſæpe ablueret, dein pulverem rhois coriariorum inſpergeret, ita denſatis poris hælurum in corpore ſanguinem, Quod fœliciter ceſſit. Æque fortunato ſucceſſu uſus eſt frictu lithargyrii & aluminis uſti. Ni pedicoſus eſſe mallet, caricas vel ommittendas vel cum antidoto ſumendas, cenſui.

Matrona Octogenaria, jam ultra triginta annos nodoſa pogadra torta cum me invito Spadanum Fontem biberet, adulta enim in ſenectute vix ulli prodeſſe poſſunt, tertio potationis die immani caribaria correpta, maximam narium hæmorrhagiam ſenſit. Quarto die ſummo me mane vocat, capacemque ſcutellam oſtendit ſanguine per nares emiſſo plenam. Juſſi in ſequentem diem ſcutellam ut erat ſeponi, quam poſtridie viſu mirabile, & pæne fidem ſuperans, pura aqua & Spadanæ ſimil-

 lima

lima plenam inveni ; in medio nabat orbiculus ſinceriſſimi ſanguinis, qui craſſitie & latitudine ducatum Hungaricum non ſuperabat. Cum diceret carybariam qua laborarat deſiſſe, tantillique ſanguinis etiam in decrepita diurnam amiſſionem non metuendam ratus : naturæ omnia permittenda ſuaſi, memor illius Liviani ; *Summum quandoque eſſe medicamentum, nullo uti medicamento.* Cum anus noſtra, ſtata hora, omni mane idem moliretur toto fere bimeſtri, cum ægræ alleviatione ſponte fluxus deſiit. Ipſa reliquo vitæ tempore quod fuit annorum octo, à podagra immuniſſima vixit ; aquis Spadanis, carnificinæ iſtius vacationem adſcribens.

Matronæ aliæ duæ hoc ipſo anno uterino fluxu pœne enectæ, cum probe examinato ſanguine obſervaſſem ab hepate frigidiore ſanguinem hunc, vel aquam potius rubore levi tinctam, manare; dato ipſis electuario de vino, quod Cypheos vocant, ante aquas Spadenſes, brevi convaluerunt. Hæ etiam menſas omnes claudebant pulvere laccæ non lotæ, ſed alia cura à ſordibus muudatæ, cortice ligni ſaſſafras, atque aliis quibuſdam pepticis Cydoniato miſtis,

ſtis, & cum ſyrupo myrtillorum ad ſcatulam repoſitis.

Elapſa æſtate ruſticus quidam proletarius, longam narium hæmorrhagiam, hepaticumque fluxum paſſus, nullo ordine acidas bibebat, incurius & horarum & tempeſtatum; imo inter ipſas aquas dum alii aniſo aut tabellis calorem ventriculo afflaturis ſibi conſulunt, cruda poma, pyraque ſilveſtria vorabat, ridens vel ſerio vel inter cachinnos meliora monentes: vix menſis abiit cum alterum crurum à gangræna ſideratum amputavit peritus Chirurgus. Secundo menſe eadem gangræna oppoſiti lateris brachium invaſit; de quo amputando dum conſilia ineuntur, miſer egit animam, ſeroque didicit atque alios ſuo exemplo docuit, Spadanas & alias medicatas aquas, non temere, ſed cum conſilio periti Medici bibendas.

Observatio XXIV.

Epileptici quidam caſus rari.

PUella in primis nubilibus annis, ab ebriis duobus, ad ſtuprum ſollicitata, in epilepſiam ex ſubito terrore &

animi conſternatione indicit graviſſimam. Aberat Leodio itinere tridui; Domum relata creditur duobus Medicis toto quadrimeſtri, quibus malum nulla ex parte levantibus; ad ægram accerſitus, duas quæ lecto adſtabant famulas rogo, quoties concideret? jam videbis, inquiunt. Adhuc loquebantur, cum ſæviſſime convulſa fuit, excubabant enim ſingulis ſenis horis duæ ancillæ, quæ ſucceſſive epilepticis inſultibus afflictæ, per omnia momenta ſuccurrerent. Lecto affixus, obſervo illam duos utriuſque pedis pollices confricare, nec ullam in illis movendis quoties paroxyſmo libera erat, quietis partem interponere. Extemplo curo fieri butyrum antimonii, ex æquis antimonii crudi, & Mercurii ſublimati concinnatum partibus: quo utrique pollicum applicito, veſicisque magnis excitatis, iiſque abſciſſis, demum carne ad oſſa ablata, ab omni paroxyſmo, triduo liberrima fuit; quarto die cum leviſſime convulſam domeſtici dicerent, (jam enim externas mulieres dimiſerant,) ſumpto antiepileptico, ex cranio hominis, pavonino excremento, veſica apri cum lotio in furno ſiccata, viſco colurno, oleo ſuccini inodoro aquiſ-

que

que ei rei dicatis adprime facto, nunquam poſtea vel umbram convulſionis ſenſit; nupſit, peperit; ſaniſſima vixit, donec epidemica febri maligna, cum multis aliis naturæ penſum perſolvit, multos poſt annos.

Alia Matrona patricia, gallico morbo olim conflictata, ſub finem vitæ ſæviſſimis epilepſiæ inſultibus diu torta; tandem proceſſum mamillarem cum cerebri notabili portiuncula, per narem dextram immani mali ſævitia excrevit, quo viſo, & cum aliis quatuor Medicis in lamina ferrea candenti examinatio, dixi me tandem illud Plautinum intelligere in fabula, cui Caſſina titulum fecit, ubi famulis duobus amoibadin, ſeu alternis convitia ingerentibus, inquit Olympio, Chanlino: *At tu ut cerebrum per nares emungas tuum*. Ad hanc diem non capiebam qui cerebrum per nares emungi poſſet; ſed hoc poſtea in Eraſto legi, tomo quarta diſputationum contra Paracelſum, qui hoc ſe præſente factum ſcribit in magna violentia inſultus epileptici. Demum Matrona hæc ſenſu motuque omni momento privata; quibuſdam Carodis, aliis Apoplectica viſa. Dicento me Galenum lib. 4. de locis affectis

cap. 1. adſerere, Epilepſiam medium eſſe affectum inter Carum & Apoplexiam; itaque omiſſa diſputatione alterutrum oppugnaremus, aut potius quod ob affinitatem in proclivi eſt, utrumque; Cum reſponſionem molirentur, hoc eſt contradictionem, qui Rhetores quam Medici videri malunt: Illa vix nobis advertentibus & diſputationi noſtræ, & vitæ ſuæ, acta anima finem facit.

Senex in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutus, ſenili lacte ſeu vino, ætatem uberius rigans, Epilepticus factus, me duoſque familiares ſibi advocat Medicos; Caſu in ipſo paroxyſmo offendi, itaque ſternutatorio quod ad manum erat, in uſum fæliciter vocato, validaque membrorum fricatione, brevi excitatur. Ingreſſis interim collegis, clyſterem injicimus acerrimum, quo magna pituitæ copia educta. Poſtridie alviduco medicamine plurima ſuperne ac inferne, quamvis vomitum ciere apta conſulto omiſeramus, excrevit; die tertio cucurbitis inteſcapulio admotis, quando venæ ſectionem, & ætas, & temperamentum, & anni tempus contraindicabant, ſanguinis, vel potius aquæ ſanguineo colore leviter tinctæ, uncias

uncias aliquot extraximus, moxque fonticulos duos in crure unum, alterum in brachio excitavimus. Demum juſculis medicatis, morbique malignitatem & expugnantibus, & paulatim expurgantibus, aliquot menſes ab inſultu liberrimus vixit, donec ad conſueta ta pocula reverſien, eodem morbo redeunte, ægro jam Medicos ac medicamenta reſpuente, in gravi paroxyſmo exſpiravit. Novi alios quoſdam juvenes ab hoc morbo curatiſſimos, qui cum vino abſtinere nollent, incurabiles evaſere. Norunt omnes epilepſiam maxime nervos tentare; vinum autem cum in omnibus qui imbelli ſunt ventriculo, & cerebro imbecillo, aceſcat; acetum autem nervis bellum indixerit, ut docemur aphoriſmo decimo octavo ſectionis quintæ; hinc facile colligent epileptici quantopere vinum Veneremque fugere debeant. Accedit quod Averrhoes Ariſtotelem ſecutus, dicit Epilepſiam fieri ut ſomnum, hoc eſt à vapore; quod jam ante libro de flatibus docuerat Hippocrates: quare vina omnia fortia, quippe valde vaporoſa, multoque magis aquæ Vitæ crebris diſtillationibus à phlegmate depuratæ, Epilepticis fugiendæ; alioquin fient ipſis Aqua Mortis.

Secui puellam quadrimam verminoſam, quæ poſt epilepſiam, Ileoſo facta, per os, & vermes, & alvina excrementa depoſuit. Quærens cauſam, tandem in fine Ilei, quinque inteſtini complicationes inveni maximas, ita ut ad longitudinem mei digiti, in qualibet complicationum, ileum convolutum invenirem, quodque peſſimum erat, hic inferne ſurſum repebat; alibi ſuperne deorſum implicabatur, atque ita ſupernam juxta ac inferam medicationem, eluſerat. Hujus epilepſia, ſine dubio, putri vapori, atque à vermibus elevato, originem ſuam debebat.

Annis ab hoc undecim Namurco venit puella Nobilis exeunte Aprili; Epilepticis paroxyſmis, & crebris & diuturnis, valide vexata, ſtatim tamen ab inſultu ad mentem redibat: lacrymaſque non ſponte fluentes, ſed præelectione, pudore ſcilicet ſtimulante motas, fundebat ubertim, non diſſuadebam lacrumas quæ pudicam pudibundamque decebant, & memineram ſcribentis, *Expletur lacrumis egeriturque dolor*, in hoc caſu maxime in quo caput plerumque, & gravatur & dolet. Hanc cum menſes & inordinate & parcius fluerent, pilulis huic fini dicatis, atque aqua

aqua pulegii ex ſcito Cratonis bis diſtillata inſtructam, Spadam miſi, ubi poſt bimeſtrem aquaram potationem perfectiſſime curata, etiam hoc anno ſæliciter acidais bibit. In hac parum maligni in morbo fuiſſe neceſſe eſt; niſi forte menſes quod plerique docent etiam tantillum retenti, malignitatem aliquam induerant. Itaque conſtanter ab epilepſia immunis manet.

Observatio XXV.

Ex Abdominis dolore, vel vulnere, caſus rari.

ANno 1617. cuidam cultellus, & longus & acutiſſimus, inter quartam & quintam coſtam adigitur; curatur toto octiduo, à tuſſi, reſpiratione impedita, aliiſque ſymptomatis liberrimus, ita ut ambularet, muniaque domeſtica probe obiret. Die nona, cum Chirurgo & ſibi ſanus videretur, ſubito animo linquitur, & poſt apnœam, anhelationemque maximam, vigeſima quarta hora, moritur Secto cadavere, inventa fuit coſta nitidiſſime ſecta, & diaphragma omnino perfectum, æuæ cauſſa fuit cur ſanguine thoracis cavi-

tatem non occupante, da reſpiratione non conquereretur, & quia diaphragmatis ſolutio continui erat ſtrictiſſima, etiam ab illa parum incommodi ſentiebat: inflammatione ſuperveniente, tenuia inteſtina in thoracis cavum irrepſerunt, pulmonemque & cor ſuffocarunt: etiam thorax qua parte vulnus acceperat, gangrænam contraxerat. In abdomine puris multum. Sine dubio huic moriendum erat, quis enim ſectionem in abdomine per quam inteſtina deorſum traheret, etiamſi rei quæ omnes latebat gnarus eſſet, moliri auſus fuiſſet? Qua via pus in abdomine collectum eduxiſſet? inflammatione fortia quæque eccoprotica, quibus ſolis pus ut Hydropicorum aquæ in inteſtina trahi poterat, contra indicante?

Dives Mercator per ſeſquiannum Cachecticus & ictericus, quandoque tumoribus abdominis & pedum afficiebatur, omnimodo inappetens, ut maxime carnes aut ſi quid odore vel ſapore iis affine eſſet, abhorrens: cum magno hypochondriorum & abdominis dolore, ſæpe vomebat, ſudoribus mane præcipue per totum corpus frigidis vexabatur, febris tamen expers cum pulſu parvo, & quandoque im-

perce

perceptibili. Vomitui innabant pingue quid ſevo caſtrati non abſimile, maxime quando ovinum ſumpſerat juſculum: quod etiam prunis injectum flammam excitabat. Ante mortem diebus aliquot ſponte dejectiones, nigerrimæ, pici navali liquatæ ſimilis, fœtidiſſimæ, conſiſtentiæ denſioris ſanguini teterrimo aliquando remixtæ. Vixit dies aliquot aſphygmos: extrema, imo totum corpus algebant, ſicque ſine ullo ſenſu evanuit. Veriſimillimum eſt adfuiſſe jecoris vel pancreatis corruptionem, quin imo eorum per partes corruptorum ejectionem: ejecta enim partem quandam gangręna diſſolutam referebant. Hæc fuit opinio D. Caroli Ogeri, qui ultimis illum menſibus ſolus tractavit.

Granorum Mercator in eodem foro habitans, Anno 1624. 13. Octobris cultello foditur in abdomine, in regione epigaſtrii, multo cibo, potuque farctus. Alio in thorace ictu foſſus fuit, inter quintam & ſextam coſtas, ſine tuſſi, vel ſanguinis ſputo: cum reſpiratione tamen difficili. Sequutus ſingultus, ſine ullo tamen vomitu, nec abdominis plaga quicquam ingeſtorum egerebat ut affirmabat Chirurgus ſatis peritus: pulſus

pulſus cum vocarentur medici, parvis: cæterum extrema cum noſa algebant: Abdominis dolor & durities magna: Vixit horas triginta à læſione. Secto cadavere, invenimus fundum ſtomachi perfoſſum, & cum inde manifeſta & neceſſaria mortis cauſſa adſereretur, ad ſuperioris vulneris inveſtigationem itum non eſt, & Caroli Ogeri judicio meoque, male: notabile enim erat, & particularem diſquiſitionem merebatur. Datum fuerat medicamentum ex rhabarbaro cum melle ſolutivo, & decocto pectorali, ſed vix aſſumptum vomitione reddiderat. Injectum etiam enema quod & ipſum dicto citius irritum exiit, ſtomacho ſcilicet tam graviter læſo, inteſtinorum periſtalticam vim non juvante. Mirabantur, ut plerique mori magni ſunt miriones, nihil ſanguinis per vomitum aut ſeceſſum ejectum: nihilque cruoris in ipſa ventriculi ſubſtantia apparuiſſe. Sed qui notabant ventriculum, cibo potuque tentiſſimum, ſtomachique ſubſtantiam carnis & venarum minimum, membranarum exſanguium plurimum poſſidere; inter peritonæum autem & inteſtina multum defluxiſſet ſanguinis, mirari vel morari potius deſinebant.

Qui-

Quidam doctus Jureperitus, pluribus annis conqueſtus fuit de doloribus circa umbilicum lancinantibus. Conſulti tum Medici, in colo vitium putantes, ipſi medicinam faciebant. Tandem, continuo cardiogmo vomituque ad novem vel decem dies tortus, naturæ penſum perſolvit: Cadaver ſecantibus, ſubſtantia ventriculi circa medium, exeſa inventa eſt ad latitudinem majoris lilii, cum ſignis circumcirca labia gangrænæ, nullo tamen tumore conſpicuo præſente. Inteſtinis jecoei, pulmoni, cordi nihil deerat. Lien tamen in vitio eſſe videbatur, quia ad Chirurgi tactum ſanioſi quid emittebat. Veriſimile eſt ulceris initia à multis annis jacta, ſive innatum ruberculum, ſive acrior cataarhus, ſive ſpinæ aut oſſiculi deglutitio occaſionem ei dederint: Seu, quod magis credo, Euphorbium ante multos menſes ab empirico Helmontio Bruxellenſi, ipſi propinatum, extimam ſtomachi tunicam, & pœne ſecundam eroſit, unde ſudatiunculæ, vel alio modo, chyli bona pars, & ſi qua liquidiora ventriculo inerant in pertonæum devolvebantur; Hujus enim putris materiæ plus quam duodecim libræ inventæ. Cæterum non

niſi

niſi paucis ante mortem diebus, diapedeſin illam contigiſſe putandum, cum omentum, quo nihil in corruptionem proclivius, colorem nullo modo mutaverit.

Anno 1626. obiit Domicella inter cives eximia, quæ toto novennio horrendis abdominis cruciatibus torta cum ſenſu ardoris acerrimi, & ſub finem vomitibus acidis, nigris, ſummaque inappetentia. Primo morqi ſemeſtri cum tractaretur à ſolo Nollens, ab eo quod omnino ipſi inſolens, ad conſilium vocor: Vocavi te, inquit, cauſſam ſciſcitaturus, cur hæc matrona æque à calidis, puta vino Hiſpano, atque à frigidis, hoc eſt ptiſana lædatur? Reſpondi ventriculum pituita turgere, ideoque calida tenuiorem ejus partem in flatum ſolventia, diaphragmata cum non exirent, (nec enim ructabat) ſurſum elevato, moleſtiam adferre: frigida vero, ſtatim in pituitam, cui accedebant, tranſire, ſicque aucto pondere ægram pejus habere: præparata, vomituque educta pituita melius à calidis habituram. Ille omnis conſilii quantumvis egregii, cujus ipſe autor non eſſet, inimicus; vomitum differendum dixit, & tamen aliis in dies plura ſex horis ordinabat anietica, quam ego toto decennio in noſtratibus

tibus auderem præſcribere. Poſtridie, me in Loſſenges decimo tertio à Leodio miliari profecto, multoſque ibi dies hærente, ipſe ſolus ſuo arbitrio ægram rexit; quam cum fatis conceſſiſſet, ſecto cadavere, præſente D. Carolo Ogero, pulmones inventi integri, in parte ſiniſtra tamen flaccidi, Car parvum, ſed labe carens. Stomachus tam longus & latus, ut totum abdomen impleret, ideo ingeſto potu torquebatur. Jecur integrum. Lienis ne tenue quidem veſtigium. Materiæ putidæ cui tamen cum naſo bene conveniret, copia ingens, tum in fundo ventriculi, tum in lienis loco, ubi multa ramenta, fęceſque lienis ſubſtantiam redolentia. Renum ſiniſter calculis plenus magnis & longis. Veſica & utero bene ſe habentibus.

Observatio XXVI.

Syncope rariſſima in Nobiliſſimo Juvene.

NObilis & Generoſus Dominus patria Hollandus, genere Reneſſius, utroque parente orbus; ſub ætatis annum vigeſimum octavum, cum mater

fatis

ſatis conceſſiſſet, plurimum mœruit, nihil appetivit, parum vel minimum dormivit. Ineunte quadrageſima præterita, quæcumque deglutiverat, vomitione rejecit, ſequente ilico extremorum frigore intenſiſſimo, quod cum genua occupaſſet, ſenſu motuque longo temporis intervallo privabatur. Cum id pluribus ipſi diebus accideret, ſenſit tandem ventrem tendi & tumere, ipſaſque tibias inflari, appetitu non redeunte, mœrore, vigiliis nihilo ſecius perſiſtentibus, accedente anhelitus difficultate, cordis palmo creberrimo, præſertim ſi motu vehementiore corpus agitaret; eodem defectu jam bis, ter, in die recurrente, quandoque ſemihoram, quandoque totam, interdum duas durante, extrema ſemper immane quantum frigebant; quicquid adſtantes vel facerent, vel clamarent nullo ſenſu percipiens, clauſis palpebris, à remotioribus pro mortuo habitus; extincto ſimillimus jacebat. Cujus conditionis in paroxyſmo pulſus fuerit, nulli Medicorum conſtat, decumbebat enim in Caſtello Elderen, tribus ab urbe noſtra miliaribus. Adſtantes tamen referebant vel nullum fuiſſe, vel ægre perceptibilem, ipſe patiens ubi ad ſe redierat,

rat, minimum ſe percepiſſe affirmabat. Urinæ duobus ab hinc menſibus crudæ, aquoſæ, & ſæpius ante paroxyſmum copioſiores. In paroxyſmis diuturnioribus, ſemel atque iterum ſuſpirabat, aliis ſymptomatibus penitus immutatis. Corripitur tam ambulans, quam jacens, aut ſedens; & jejunus & cibo refectus, remittente ſe paroxyſmo cor valde palpitat, extremis ſenſim calor redit; ſed tanta cum virium imbecillitate, totiuſque corporis laſſitudine, ut horis ſex vel ſeptem, imo aliquando totis duodecim vix movere ſe poſſit, quod ſi conetur, ſubatiuncula frigida thoracem, totumque caput occupat. Viginti ab hinc diebus ſæviſſimos inteſtinorum cruciatus expertus, ſumpto eccoprotico, magnum lumbricorum glomerem per anum excrevit; paroxyſmis nihilo minus ſtatis horis redeuntibus, iiſdem ſymptomatibus comitatis, niſi quod vomitus ſe remitterent. Extremis frigere incipientibus, venturum malum præſagiebat, atque ex frigoris modo, de mora venturi mali, certi quid ſtatuebat. Sæpe interim purgatus fuit pilis de hiera cum agarico: Infuſo item ſenæ & rhei. Tandem 19. Aprilis D. Carolus Ogerus, qui ipſum in Elderen

deren viderat, Leodium venire juſſit, ſpe videndi, nobiſque moſtrandi paroxyſmi: ſed conatus ejus fuit irritus, paroxyſmo Leodio numquam redeunte. Primo quo Leodium venit veſpere, ſumſit Theriacam cum aqua cinnamomi, altera die purgatus infuſo rhei cum diaphænicone, & diaturbith, quod lumbricis ejiciendis aptiſſimum ſemper inveni. Demum decoctum ligni cum cortice & ſaſſafras ex aqua ſcabiolæ cum corticibus citri. Nec ab eo tempore Leodii quicquam ſenſit, niſi leviſſimos, & ſenſum pæne fugientes inſultus, ita ut totis duodecim diebus, nulli noſtrum quicquam videre contigerit, quo characterem vel morem mali doceremur. Tandem ventris tibiarumque tumore diſcuſſo, anorexia & vigiliis fugatis, prima Maii anni 1624. in Elderen ſanus rediit, Hollandiam cogitans, accepto à nobis hoc ſcripto: Affectus eſt ſyncope, rariſſimus omnino, ſeu frequentiam, ſeu paroxyſmi diuturnitatem conſideres. Cauſſa fovens eſt vapor malignus, cum minera pari reſidente partim in pericardio, partim in hypochondriis. Imminente paroxyſmo habeat ſemper paratam theriacam cum aqua cinnamoni optima. Si paroxyſmus quod non ſperamus, recurreret:
fri-

fricarentur extrema, admoverentur cucurbitæ, ungeretur oleo petroleo, de euphorbio, lateribus, ſuccino. Uſum guajaci ad 40 dies continuaret, ſæpeque condito Theriacali uteretur. Vitet cibos craſſos, flatibus obnoxios, loca paluſtria, crapulam, venerem in primis, alioquin fore ut ſe eviret, malum enim minari mortem ſubitam, aut in conſenſus tracto cerebro, epilepſiam, aut ſtomacho ad ante mala revocato, hydropem metuendum. Subſcripſimus Michael Ogerus D. Caroli pater: Joannes Nollens: Henricus ab Heer: Joannes Brandt qui nunc Aquiſgrani fæliciter Medicinam facit; & Carolus Ogerus. Duo Medicorum primi non multo poſt fatis conceſſere. Ogerus octogenario multo major ſolidæ doctrinæ & experientiæ vir, numquam de calculo veſicæ conqueſtus, in veſica habuit calculum ovo anſeris majorem, omni ſilice duriorem, quem etiamnum filius Carolus ſervat. Nollens ſumpto ſuo vomitivo (Gillam vocabat) totas triginta horas convulſus, ad non entes abiit; Deus utrique lucem ſuam indulgeat.

OB-

OBSERVATIO XXVII.

Melancholicarum caſus rari.

CIvis quidam Limburgenſis ſexagenarius, dives opum, vitæ ad exemplum probæ, Anno 1626. quo ſumma annonæ penuria multos fame conficiebat; Dardanariis annonam flagellantibus, multa in egenos diſpertiens, integraſque pauperum etiam religioſorum familias ſuſtentans, ſub vernum tempus, mœrori ſe dedit, pavit; exoticis imaginationibus, anxietatibus ſemet crucians, macreſcere cœpit, valdeque torvum, fixiſſimis oculis tueri, vitæ rerumque omnium pertæſus, ſolitudinem amabat; tandem 26. Augućti, in cubili ſtans fauces ſibi præſcidit cultro quem illi fini abſconderat, caſu in terram valido excita familia, advolat: ſed cum ſanguine in quo volutabatur animam reddidiſſe comperit. Judices & quæſtor fiſco præpoſitus, tam noti criminis compertum obiter cenſent, cadaver per domus poſticum, per urbis compita, terrori aliis incutiendo ad patibulum trahendum, bona fiſco, quod in illa pataia moris eſt, addicunt. Amici à Judicibus impetrant, ut in horto

horto proprio ſepeliatur, dum Bruxellis quo à ſententia appellaverant, decretum hoc reſcindendum curent. Plurimis teſtibus unanimi conſenſu adſentientibus, vitæ ipſum fuiſſe ſupra communem uſum probæ, nec ulli unquam verbo vel facto injurium. Conſulti duo Medici, qui viv curam habuerant; alter dixit Phrenitide laboraſſe, ſeque diu pro talim ipſum tractaſſe. Alter melancholicum fuiſſe aiebat, citans Galenum, 2. de diff ſymptomatum.

Reverendus Vicarius Leodienſis, præſentibus Theologis, Scabinis, & Jureperitis Leodienſibus, meum & D. Caroli Ogeri teſtimonium Bruxellas mittendum, ſuper hoc caſu petiit, quod nos tale dedimus. Infraſcripti D D. Medici à Reverendo Domino Vicario Leod. rogati ferre judicium ſuper morte N. N. Auditis plurimum teſtimoniis, nobis in ædibus R. D. Vicarii prælectis; aſſerimus huic accidiſſe quod dicit Hippocrates, ejuſque Commentator Galenus 3. Aphor. text. 20. contingere pleriſque ſenibus (erat autem hic Sexagenarius) melancholiam morbum, qui cum in N. N. quadrimeſtri toto duraverit, & quod excurrit, certo certius cerebrum idiopathia affecit, ita ut

non ſolum facultatem imaginatricem, & ratiocinantem depravarit, ſed & memoriam loco moverit deſtruxeritque. Unde mirum non eſt, quod omnibus animæ ratiocinantis facultatibus deſtitutus, mortem ſua ſibi manu vi morbi potius, quam animi malevoli conciverit. Datum Leodii die 5. Septem. 1626. Signavimus D. Heer. Ogerus. Nota quod teſtimonio inſerveramus, illum phrenitide nullo modo fuiſſe correptum: *Sed prædicti Domini aliorem honori conſulentes, qui certe erraverant, expungi petierunt.* Nota enim eundem N. N. mutuos dediſſe nummos 1540. pattakonos, quos cum ſtatuta die ſtatim non reciperet melancholiæ ſe dediſſe, quam poſtea de pecunia ſecurus excutere non potuit.

Anno 1611. venit in Spa Illuſtriſſimus Genuenſis, qui conductis ſex validiſſimis baiulis, ſellam geſtatoriam alternis poſt ſpatium horarium portantibus, decimo octavo die eo perlatus eſt. Trahebat comitem Medicum profeſſorem Papienſem, meliori hero dignum.

Huic enim Euclioni operam ſuam locaverat, per totos tres menſes pretio octoginta ſcutorum Italicorum. Accitus

cus ad illum Leodio, rogavi quid me vellet? Scire, inquit, ex te volo num calculo laborem veſicæ. Quæ cauſſa, inquam, dubii? quis calcu lou m te cenſuit? Egomet memet, inquit. rogavi numquid ſpecillo vel cereolo veſicam tentaſſet? negavit ſe unquam hoc paſſurum, an calculos aliquando vel arenas excreviſſet? numquam, inquit, an in qube, pectine, perinæo, gravitatis ſenſus vel dolor eſſet ſi quando ad lapidem offenderet, vel ceſpitaret? In bordello, inquit, ego pedibus nunquam incedo, ſemper ab his bajulis etiam in cubili geſtor. An egeſturiendo mejat, & mejendo egeſturiat, quo nullum eſt certius ſignum pathognomonicum, accedente maxime urina lactea calculi veſicæ? Sat quæſtionum, inquit; dic an calculo laborem? Veſicæ, inquam, laborare te calcalo non puto, ſed vereor ne intra duas auriculas neſcio quem habeas ſilicem, quem Bruegelius in Batavia, & Germani aliqui Keyſchneiders prope Coloniam in pago Bochelmunt percurant. Sic miſere exacto biduo, millies de calculo, cujus nec umbra aderat, rogatus: tertia me nocte, ſub mediam noctem ad ſe vocat, Accede inquit propius, ut halitum meum explores. quid,

inquam, illi cum calculo? vix proprius acceſſeram, cum utraque manu caput meum arctiſſime complexus; tam fœdo ructu totam perflat faciem, ut mephiti illa, animam pene redderem. Cum fugerem ad lectum rediens; audi, audi, inquit, aliud eſt quod te volo, quid hoc, inquam, non totum eructaſti? Statim quindecim vel ſedecim divaricatis natibus bombos ſonoros, tanto fragore emittit, ut totidem mouſquetones explodi crederem. Audiſti, inquit? imo ab objecto auditum nimis feriente, pene obſurdui, inquam. Sed mature lectus repetendus; ſi enim illud tonitru pluvia exceperit; indubie ſtercore madebimus, & jam te libanotum non pedere, cum Ariſtophanis Carione, nimium doceor, etiamſi peditu cum tonante Jove certare poſſe videaris, illo in cachinnos effuſo, ſomnum repeto, & quando paucitas Bobellinorum meam Spadæ non merebatur præſentiam, erat enim menſis Junius, mane extorta poſt multas rixas à Ligure & vano & avaro, aliqua mercede Leodium redeo, eodemque veſperi, ipſum Leodii geſtari video, poſtridie Bruxellas delatus fuit; ibique ſalutato Polemarcho Ambroſio Spinola, patruele ſuo, in

pa-

patriam rediit, Spadanis fontibus, quorum ergò tantum terræ emenſus erat, nec viſis, nec guſtatis. O caput Anticyris mille inſanabile!

Anno 1611. vocatus ad ædes polypragmonis cujuſdam empirici, ad monachum, cujus lecto uterque parens multis perfuſi lacrumis, adſidebant: tacto pulſu, examinatiſque omnibus, ſurgere hominem jubeo, utinam auderem, inquit; ambulationem, curſumque huic decubitui præferrem. Quid obſtat, inquam, quo minus ſurgas? Doctor, inquit, jam adfuturus, vetuit, certo adſeverans, ſi ſurrexero ventriculum in ſcrotum deſcenſurum. Habeſne ſcrotum, inquam, omnium inteſtinorum, utriuſque renis, hepatis & lienis capax? hæc enim vel pleraque ſimul delabi neceſſe eſt ante ventriculum, capacitatem, inquit, ſcroti mei in quo nihil unquam præter teſticulos ſenſi, ignoro, cæterum non niſi Doctore præſenre, etiam ſi mille mihi ducatos numerares, ſurgam. Doctor veniſſe me ſentiens, ſevocato in aurem dicit, Ego cum hujus parentibus, inquit, pactus ſum pretio centum Philippicorum Thaleorem, me ſtultum hunc curaturum. qua via, inquam? ut errore, in

 quem

quem eum prudens conjeci, inquit, liberem; dixi me ſublicium pontem, ex filis quæ vides æneis, ventriculo ſubſtraturum, ſicque ſtomachi lapſum prohibiturum; jam præſentibus parentibus cutem exterius utrimque ſcalpro leviter dividam, cras pontem me poſiturum ſimulans; ſi dolo meo ſubſcribere placet, mecumque viciſſim deinceps praxim tuam dividere, jam 50. à me Philippæos accipies. Ego, inquam, pecuniam male partam nolo; certo enim intra dies paucos duplicatam amitterem, acceptoque à parentibus capitone Medicis dari ſolito, diſceſſi. Sexto poſt die Doctor ille ſecta in brachio pugione arteria, nimia hæmorrhagia obiit, vix relicto quod ſepulturæ ſufficeret ære; & tamen ſæpe mihi juravit ſe in dies ſexaginta diurnos Philippicos tribus vernis menſibus lucrari, ipſo mortuo monachum benedicto pulvere perpurgatum, datis melancholiam alterantibus opiatis, brevi cum Deo ſanæ menti reſtitui, ſæpe mirantem quomodo iſta ſibi ab empirico perſuaderi paſſus fuiſſet.

Sequenti anno alius venit Genuenſis Illuſtriſſimus duodecim annorum, arenulis leviter vexatus, medicum ſecum

cum domeſticum ducens; cui nomen Lazarus Zirizana. Ille à me purgatus, potis meo conſilio aquis cum optime haberet, quodam die cum ego cum Illuſtri quodam Negri & ipſo Ligure pranderam, audito in platea clamore, aures arrigo, feneſtram aperturus; Expecta, inquit Negri, Zirizanam audio. Ille vero ſtentorea voce boabat, Maledicti Spadani fontes: male ſit omnibus qui vel eas bibent, vel aliis ſumendi autores erunt; en, inquit, Illuſtriſſ. meus Spinola, tales tres hoc prandio panes abligurivit (& oſtentabat minimam ſimilaginem) ſi ita perrexerit, ſuas ipſe manus pedeſque devorabit inſtar Eryſichthonis. Quæ enim pecuniæ pani emendo ſuffecerint, ſi tantum in dies eſurus eſt? Tace, inquit Negri, ſtulte, neque noſtrates Illuſtriſſimos hac macula adſperge: Si puer ille in dies mille aureos in panem, (pro quo hic ſeſquiſtuferum conſumpſit) prodigeret, nihilominus pecuniis afflueret. Ego vero, inquit, ſcio diurnas meas expenſas, quæque rationes mihi reddendæ, itaque eadem hora convaſavit, & ad Ligures ſuos rediit. Hoc cerebrum Ellebori centena haud jugera curent.

 Anno

Anno 1620. venit in Spa Illuſtriſſimus Anglus,famıliari & affine in ampliſſima familia comitatus medicò. Cæterum Collegium Londinenſe cujus maxima pas pro mylordo hoc conſultaverat, litteris ad me datis,mihi curam illam credi voluit. Acceſſi 6. Julii, ægro Medicoque examinatis, invenio melancholicum omnes menſes tripartientem. Primos dies decem ſine ullo vel minimo cibo potuque tranſigebat, in cubili morans, nullius colloquium ne quidem uxoris quam habebat & juvenculam & formoſiſſimam, admittens,uni famulo ımpune erat ipſi loqui: lucem fugiens. Proximis decem diebus ante lucem ſurgens cum multis equis venatum excurrebat ; inde laſſus rediens vorabat quod tribus ſufficeret, bolos deglutiebat qui ovum æquarent, multum & generoſum vinum bibebat. Statim à prandio ad venationem redibat, eodem modo cœnabat, toto die è ſacciperio quod huic fini geſtabat famulus, cortices citri, pyra, mala ormeniaca, pruna, omnia ſaccaro ſicce in Galliis vel Genuæ condita heluabatur: Somni interim, utroque paroxyſmo breves, inſomnia varia, multa, turbulenta. Menſem claudebat,

addi-

addictus muſicæ; vocali juxta ac inſtrumentorum, tumque immanem prodigebat pecuniam; obviis omnibus tibialia ſerica, pileos è caſtore factos, chirothecas ingentis pretii, ultro ingerebat. Harum enim magnam copiam tribus magnis ciſtis clauſerat. Muſico ſi vel una cantiuncula placuiſſet, quinos, ſenos Jacobæos dabat; additis paris vel majoris pretii chirothecis. Mendicis ternos quaternos dabat aureos. Equos qui uno curſu trigintano ſtratia mu liar̃a conficerent, Belgis Principibus, vel nolentibus vel nolle ſimulantibus obtrudebat; ipſam penulam veſteſque largiebatur. Huic primum dedi pulverem illum benedictum, à Michaele Paſchalio & Pereda deſcriptum; qui, quia plurimos juvit, multi autores alienæ gloriæ cupidi, illum ſuæ inventionis eſſe volunt. Eſt autem hic: ℞. Summiratum epithymi ſemunciam, lapidis lazuli præparati, agarici trochiſcati ana ℥ij. ſcamonei ʒij. garyophyllorum nu. xx. f. doſes quinque. Cum has ut erat robuſtiſſimus, viribus conſtantiſſimis, diebus quinis continuis ſumpſiſſet, bibit Spadanum fontem exiguo cum profectu, quia nec affini Medico, nec mihi auſcultabat. Ad ſuos enim rever-

verſus, creſcente malo, maniacus factus, locis munitis coerceri debuit.

Anne 1617. Venit in Spa Illuſtriſſimus Luſitanus Tribunus militem ſuæ gentis, vir fortis, ſed imaginationis vitio polypo ſe laborare credens; totos me novem dies Leodii expectarat, dum ex Batavis, ubi integro menſe Gubernatori Gravienſi vacaveram, redirem. Qua enim duos non ita pridem à me curatos ſciebat, alterius cûjuſvis operrm recuſabat. Cum negarem laborare ipſum polypo, graviſſime mihi ſuccenſuit, tum ſero imaginationem læſam intelligens, purgata per pulverem Benedictum Melancholia; adhibitis naſo inſtrumentis quæ extimam oſſis ethmoidis cartilaginem leviter libarent cum ſenſu patientis & exiguo ſanguinis fluxu; facile ſe à polypo ſanatum ſibi perſuaderi paſſus *eſt*, cum fila ſerica naribus immiſſa per *palatum* exirent; & admotas accenſas candelas, narium copioſo flatu, facile extingueret.

Canonicus quidam Philoſophiæ curriculum emenſus cum toto quinquennio Lovanii Theologiæ vacaſſet, in venit tandem ex nimio ſtudio, ſupinum ſtultum; venit ille in Spa quinto abhinc anno: ubi perpurgatus, potis aquis Spada-

Spadanis nihil profecit. Invito me curabat ſibi ſæpe bis tundi venam in menſe, & quicquid reclamarent etiam adſtantes,non patiebatur claudi venam,quin aliquot ſupra triginta, & ſæpe quadraginta unciæ effluxiſſent. hoc toto triennio & amplius continuavit, cum cachexiæ & hydropis certum periculum incurrere dicerem,nihil movebatur, interim quotidie multos manipulos tritici integri, nulla mola ſubacti, vorabat. Cum ſemel de Pharmacorum ignavia quereretur,dedi illi tandem elaterii albi noſtratis, grana duo, à quibus cum valide pargatus eſſet,plus quam vicies me inſcio reſumpſit. Interim valet,nec quicquam,tot venæ ſectionibus, aut purgationibus ſibi virium decedere obſervatum.

OBSERVATIO XXVIII.

Circa naſum rara ſymptomata.

ILluſtris quidam & Reverendus ex agro Iuliacenſi Nobilis, polypo laboravit, tamen immani, quantum numquam viſum memini; ad imum enim labium ex utraque nare pertingebat: Itaque niſi toto hiaret ore, vigil juxta ſopitul-

que ſuffocari ſibi videbatur. *Conſultus* ante me celebris hac in urbe Medicus, tum primum praxi ſe accingens 300. Philippæos, priuſquam manum operi admoveret, repræſentari ſibi voluit. Cum ad me velle obolum, niſi toto triennio à præſentis vel futuri polypi metu ſecuriſſimus eſſet. Cum Chirurgo, quo ſocio egebam, paciſceretur, pactus eſt Philippæos viginti quinque: Itaque ſtatim, avulſis quæ foris pendebant carunculis, cum magna ſane & que metum mihi incuteret hæmorhagia, ſucco granatorum acidorum & burſæ paſtoris, & aqua nucamentorum ſalicis, ſanguinem ſtitimus: Dein purgando corpori, & venæ ſectioni triduo vacavi. Die quarto, pelicani roſtra ad radicem oſſis ethmoidis ventum; cujus cum undique tantillum decerpſiſſemus, parum nos à *fine* curationis abeſſe putantes: *quia*, quod factum ſane oportuit, nondum libere reſpirabat, inſpectis faucibus, multos ibi poſt uvulam pedes, quales prius ex naribus pependerant, ad gule initium pertingentes, obſervamus. Et hos ſed adunco roſtro, cum pelvi ſuppoſita ut minimum ſanguinis in arteriam aſperam ſe inſinuaret, reſecuimus. Itaque cum

cum nihil amplius ſecandum rati, filis plumbeis aurifabri manu ductis, utrique narium immiſſis, eadem per os eduxi, atque aliquot gyris rotata ſibi invicem implicui. De in utrimque candelas cereas accenſas admovi, quas cum facillime liberum halitum exſufflando extinxiſſet, fatentibus aliquot qui aderant primariæ ædis cononicis percuratum polypum; mei deinceps muneris eſſe dixi reditum polypi impedire. Dimiſſo itaque Chirurgo, cui ultra quam promiſerat, tres Philippæos donavit: Ego primum gentianæ pulverem ficciſſimum, cum ſcrofulariæ ſucco in turundam aptatum, in utramque narem quam potui altiſſime adegi; bis in dies mutatis turundis. Cum ſic naſo ſatis cautum crederem, (fidum enim experimentum eſt, & quod antea etiam fæliciter ceſſerat) gutturi polypoſo quod ſequitur, aptavi. Gentianæ radicis ſeſcumuncia: ſcrofulariæ, uncia: caricum ſemuncia, minutim terantur: hujus mixtionis dragmam capiebat in decocto verbenæ, cardui, ſaſſafras: bis in die, ad duos menſes, unde ad hanc diem jam totis ſoptem decim annis ſaniſſimus vivit,* libere ut alii reſpirat: ore cum lubet clauſo, ambulat, nec polypi umbram metuit.

Anno 1619. venit in Spa Illuſtris *Anglus*, de naſi moleſtia conqueſtus, cui amovendæ, omnium nationum totius Europæ celeberrimos ſe Medicos admoviſſe dicebat; cum cætera ſaniſſimum viderem, facultateſque omnes rectiſſime officio ſuo fungerentur, ſtatim ad nares veniendum cenſui, certus aut imaginoſi quid ipſum ſolere; aut ſoli naſo proſpiciendum. Ut primum ſpeculum naſi applicui, obſervavi ſordes ſeu mucum tartareum in ſaxeam fere duritiem concretum, quem cum forcipe evellere vellem; ab hæmorrhagia cave, inquit, quæ ſæpe maxima ſupervenit. Dixi ad manum eſſe quæ ſanguinis fluxum momento inhiberent, nullo itaque negotio inviſam materiam, & non redituram avelli. Illo veſperi in oſſis cribriformis cavitatem, unguenti roſati quantum potui adegi. Sub mediam noctem *catapotia* caput pituita depletura, exhibui, quibus cum craſſi phlegmatis plurimum eduxiſſem; id quod ad conſuetam narium ferebatur viam; quia ob lubricum viæ, moram ibi non trahebat, non concreſcebat, ſed liquidum coryzæ inſtar dilabebatur. Ne autem unguenti roſati tædio forte aliquandò caperetur: modo pomadam illi ſubſtitueret,

mo-

modo caponinum adipem, aqua betæ vel mercurialis apprime lotum, modo emulſionem ſeminis cydoniorum, betæ radice, vel aſparagi caule vel altheę trunco admoveret. Hoc cum biduo fœliciter ſucceſſiſſet, Heidelbergam, unde me conſulturus venerat, tertio die rediit; muni manu quinque Jacobæis mihi numeratis. Reſcripſit poſtea ſe moleſtia illa liberrimum.

Anno 1614. conſuluit me divis Mercator, natione Flander, dicens ſe lupis in naſo vexari (lupos vocant Flandri vicinique Leodienſes ſordes illas mucoſas vel tartareas, in naribus concretas, quas acicularum capitibus mane nutrices infantulis educunt.) Inſuper fauces moleſtia affici, quæ ad medium auris ſiniſtræ pertingeret, deglutiri etiam vinum cum dolore. Dixi videri mihi guttur ulcere affectum, illique prius quam naſo conſulendum. Cum ægre, vocato Chirurgo, ſpeculo oris diduci fauces paſſus eſſet, totum palatum, maximamque uvulæ partem immani ulcere obſideri obſervamus. Hoc ulcus in ore Corydonis Gallicum quis vocaſſet; in Nobilibus & divitibus ut erat, catarrhum, vel ulcus brancho excitatum, nominant, ab illo auris pe-

pen-

pendiſſe moleſtiam, nemo anatomes peritus dubitat. A cochlea enim, Antro, vel Tympano, ut vocant Ariſtoteles & Fallopius, vel pelvi, ut vult Veſalius, ſita inter radicem mamillaris proceſſus, & ad inſertionem capitis inferioris maxillæ, patet meatus in os: quæ cauſa eſt cur & aurium ſuſurri maſticatoriis placentur: & quod ſonus in os ingreſſus ad aurium intima feratur: & propterea qui ſurdeſcunt, eo quod myninx durior evaſit, appoſita auri manu quæ externum aerem arceat, aperto ore captant ſonos. Item quod oſcitantes parum vel nihil audiant, eo quod tympanum, inter duos aëres hoc introrſum, illo extrorſum pellentes, parum vel nihil cedit; unde exigua vel nulla auditio. Terminatur hic meatus ubi os palati deſinit, prope radicem gargareonis, ita ut palato & naribus communis ſit faucibus ad deglutitionem dilatatis: meatus hic aperitur, unde moleſtiarum communicatio. Aqua primum Fallopii, ulcere faucium deterſo cum lentius curari ſibi videretur, D. Nollens, & Carolum Ogerum mecum advocat. Nollens ſtatim ſecretiſſimum remedium pollicitus, ſibique uni notum; butyrum antimonii

timonii diſtillatum admovit. Hoc ego primo intuitu deprehendi, quia ad minimum liquoris contactum, in niveum pulverem vertebatur. Sane hoc butyrum, facillimum factu & ubique parabile, magnam in ulceribus gallicis, carie & ſimilibus, vim habet, brevique percurat: ut & in hoc patuit; ſed uvula, quam bove ipſum majorem habere dicebat D. Nollens, pœne omnino exeſa, vixque parte quæ fabæ Romanæ quantitatem æquaret, reſtibili. Inde ad nares ventum; quarum uni digitum immittens, mediaſtinum omnino exeſum obſervo, ita ut digitorum meorum apices, utrique narium immiſſi non aliter, quam in libero aere committerentur. Cum cartilaginem reponi poſſe negarem ex Aphor. 19. ſect. 6. me ſociiſque diſſimis, Edelpho peregrino ſe ingerenti, naſum non curandum, & poſt illum aliis multis credidit. Cæterum hoc ſexennio nihil omnibus actum, tantorum impenſis operum. Cauſſam dicunt omnes, quia impendere, vel in Medicos expendere recuſabat æger. Scriptum autem in Macaronicis dicebat quidam Juniorum Medicorum.

Ordinet ut Medicus; Aegros Or-donner oportet. Et ſane qui mentulagra;

quæ

quæ huic, morbi & initium, & fomes, laborant: chiragra illa, quam Martialis depingit hoc diſticho, carere debent:

Litigat & podagra Diodorus Flacce laborat,
Sed nil Patrono porrigit, Hæc Chiragra eſt.

Maxime cum fœtore naſi, inſuper adſtantes vix ferendo adflaret; ægreque tonſorem qui barbam radere ipſi vellet, inveniret. Ita ut non ſanatus, in Flandriam natalem ſuam redierit, deſertus ab omnibus Medicis: & conſtat, jam olim Jaſonas, Medeam aureo vellere ſpoliatam, res ſibi ſuas habere juſſiſſe.

OBSERVATIO XXIX.

Idioſyncraſia quædam rara

NOvi Leodii familiam integram, in qua omnibus utriuſque ſexus nares ſemper frigent: æſtate ac hyeme, ſopitis & vigilibus, ſanis & ægrotantibus. Unde cum primum illis medicinam facerem; duobus fratribus cauſone correptis, cum undecimo die neque criſis ulla, nec aliquod ejus ſecuturæ indicium appareret, ſentiens nares utri-

triuſque, quavis glacie frigidiores, mortis prognoſticon dedi, & mecum alii tres Medici. Illi tamen ambo evaſerunt, atque etiamnum vivunt decimo quarto poſt morbum anno.

Novi Matronam, quæ in ſecunda juxta atque adverſa valetudine, inter dormiendum, dentibus quot noctibus ſtridet. Huic manſorios muſculos juſto breviores eſſe oportet valdeque debiles. Dentes enim præcipue molares longiores habet, ideo illis muſculis ob imbecillitatem & brevitatem in ſomno motis, dentes collidi & ſtridere neceſſe eſt.

Novi aliam quæ viſa Rana, vel coaxatu ejus audito, animo linquitur: diuque pro examini jacet, dum vino generoſo ad ſe redeat. Itaque paludoſa loca ut Acheruntem vitat, tandem ab empyrico quodam edocta, nidorem pennarum Upupę accenſarum ranas momento fugare, earumque coaxatum compeſcere nunquam rus concedit, quin ancillam iis inſtructiſſimam comitem habeat: quibus fumantibus malo ſe non corripi adſeverat. Illone fumo an imaginatione correcta levetur, judicent prudentes.

Paucis ab hinc annis Matrona anus, è vivis exceſſit, quæ jure carnis bubulæ plu-

plurimum per alvum purgabatur. Hæc multis annis nephritide per intervàlla tentata, raro alio utebatur laxante medicamento, nephriticos autem dolores pota aqua Heurnii, quam Spadacrenes capite undecimo deſcripſi, ſtatim ſopiebat: & cum in pauperes liberalis eſſet; hujus aquæ egenis nephriticis multa pocula diſtribuebat quotannis. Hæc cum in ſenio tibiam ſibi lapſu in plano fregiſſet; non aliis uſa pharmacis ſolo etiam odore juris bubuli, alvum ſibi ſolvebat.

Hic aliud quam Idioſyncraſiam agnoſcere, meo judicio eſſet hominis parum eruditi.

Vidimus hoc anno virum quadragenarium, cui jure capi vel gallinæ, alvus quinquies, ſexies, ac ſi alviducum ſumpſiſſet medicamen, ſolvebatur. Cum ego ei febriente, à cholera maximuſque & diuturnis animi pathematis, erat enim litibus implicatiſſimus; tres ſyrupi roſati ſolutivi ſimplicis uncias præſcripſiſſem, quo die jam ſponte ſexies dejecerat: decies novies, à ſyrupo copioſe ſeceſſit. Dabam illum ſyrupum, quia cum bilioſiſſima, imo ſinceram bilem excerneret, verebar ne inteſtinis adhærens, in dyſenteriam, qua olim

olim tantum non internecina laborarat, ipſum præcipitaret, itaque illo ſyrupo & refrigerante & blandiſſime purgante, inteſtina eluenda cenſebam. Cum à prandio videret me de nimio alvi fluxu ſollicitum; Intra horam, inquit, ſiſtam Curavit cuoqi ſibi recentiſſima duo ova, non ad duritiem, ſed omnino tremula, quorum vitellos abjecto, omni albumine, cum ex cochleari deglutiſſet; tedi, inquit, cum vacabit, ſtantem alvum invenies. Redii ſecunda poſt hora, nec illo, nec ſequenti die tantillum egeſſit; ita ut die tertio ad jus gallinæ redeundum fuerit. Quomodo hoc niſi ab individuali quadam complexione manare potuit? Vivit apud nos vir primarius, qui viſa anguilla lipothimia gravi corripitur: imo etſi cruſtis artocreatum inſtar anguillæ incluſa menſæ inferatur, mortui inſtar concidit, nec ad ſe redit niſi ablata anguilla.

Vivit alius apud nos Canonicus quadragenario major, qui nil comedit, niſi pultes quibus in cunis alebatur: piſces omnes, carneſque execratur, nec quicquam bibit niſi aquam putealem vel fontanam, huic cum ante ſedecim annos febre correpto, medicinam facerem, ſæpius cum infuſo mecoacæ pul-

tes.

res coquendas curabam, ſicque ſummo Dei beneficio, omnes ſyrupos, & quæcumque è pharmacopolio petebantur faſtidiens, evaſit, per epicraſin abunde purgatus. Atque etiam nunc baſilice valet dum hæc evulgo.

Qui cattos ut mortem horrori *habent*, paſſim obvii ſunt. Ante annos præter propter duodecim, Eximius quidam vir riſum moturus amicis, in celebri convivio cui & ipſe interfuit, ælurũ pinguem leporis loco artocreati incluſerat, cum illum avidiſſime omnes ederent, ego maxime qui ſemper omnibus quæ quidem veſcæ ſunt carnibus, lepuſculos prætuli, eorumque patronum in Spadacrene egi: negantes ſe meliorum unquam comediſſe leporem; adſidentium quidam impoſito orbi ſuo fruſto, nondum à ſe manibus vel ore libato, ſubito priuſquam pedum loco movere poſſet, & orbem ſuum, & vicinas patinas convomuit, moventibus ſe omnibus, ipſe ſui impos lecto illatus, cum ad ſe rediiſſet, mihi lecto ejus affixo, dixit credere ſe cattum menſæ pro lepore illatum. Cum id Domino domus dixiſſem, ipſo in riſum ſoluto, & fatente, rediit ad menſam ablato atrocreate æger, novoque cibo vinoque recreatus, nulli convivarum hilaritate ceſſit. Scri-

Scribit de ſe doctiſſimus Ioannes Heurnius, quoties piper vel raphanum comederet, colicis doloribus atrociſſimis cruciari ſolitum: nativa ſcilicet bile, calidorum acceſſione aucta, inteſtinaque acrius vellicante. Novi aliquot in Spa & Leodii, eidem miſeriæ obnoxios.

Vidi duos qui nullo antimonio, aut alio eccoprotico nequidem Elebori extracto alvum laxabant. cum meo conſilio propriorum unguium præſegmina & raſuram bibiſſent, vomitu juxta ſeceſſuque, abunde ſe deplebant.

Novi Illuſtriſſimas & formoſiſſimas Dominas, quæ cætera ſaniſſimæ & quotannis uterum gerentes, nunquam niſi vigeſimo vel ſerius die, alvinas fæces deponerent, nec quicquam inde incommodi etiam puerperæ ſentiebant.

Vixi cum Sacerdote Religioſo, omnium quos novi mortalium ingenioſiſſimo, linguas enim Orientales, Hebræam, Syram, Arabicam: autodidactos ita calluit, ut eas publice in celeberrima Germaniæ Academia docuerit, ſumma cum laude, ſtupentibus Iudæis potuiſſe Germanum hominem, ſine ullo magiſtro tam perfecte hæc & didi-

didiciſſe, & docere. Hic numquam niſi poſt vigeſimum quartum die malvi beneficium à puero ſenſit, ſaniſſimus, nec ullum unquam expertus pharmacum. Lubricandæ tamen alvo autopyro pane ut eum vocat Galenus 2. de Alimentis veſcebatur, imo quam poterat pityroſiſſimum ſibi fieri curabat, quotidie prandebat, cœnabatque quantum quiſquam alius, interdum & jentabat, ſed raro.

Generoſus quidam jam multos annos ita vivit, ut fæcum alvinarum nihilo plus per anum, quam per oculos excernat. Accumbit ſub meridiem menſæ opiparæ, convocatis ut plurimum aliquot Nobilibus; comedit, bibit, nihil a quoquam accumbentium diſcrepans. Sub horam primam ſurgit à menſa, pridianum prandium removit, retentis accuratiſſime omnibus recens ingeſtis, poſtridie illa, ut heſterna egeſturus, putidiſſima atque ab alio ſtercore non differentia. In vomitione conatus nullus: mora nulla: ſimul & ſemel magnam quantitatem exſtomachat, abluto aquis odoratis ore, ad menſam redit: ventriculum iterum quod illi in ſequentis diei meridiem ſatis ſit, reſumere cogit, jentacula cœnaſque

naſque ignorat, ſolo prandio contentus. Sic jam ultra viceſimum annum continuat. Sæpe mihi in mentem venit duos illi, ut animantibus ruminantibus eſſe ventriculos, quorum unus altero recens impleto, vomitu ſe depleat, cæterum rei veritas ſola anatome ſi permittetur ipſo mortuo, eluceſcet.

Nobilis noſtra in urbe Matrona, jam ſextum annum quotidie ſub decimam circiter matutinam, pelvim vomitu implet duarum noſtratium heminarum, ſive librarum medicarum capacem, interdum meraciſſima: nigerrima cum acore dentes ſtupefaciente: alias flaviſſima cum amarore intolerando: viridi colore ſaturrima, cum fœtore ingrato: aliquando albiſſima, ſpumea aut potius ſpumam meracam. Pridianæ cœnæ aut ciborum nihil unquam. Ab aquis Spadanis triennio potis nihil ſenſit commodi, niſi quod appetitum muneris alio quin ſui non oblitum, acui ſentiret. Judicavi pendere vomitum à perenni catarrho, quem cum decocto ſaſſafras, chinæ, ambræ chryſeæ uſu, additis diureticis partim ſiccarem, partim alio derivarem, melius habebat, atque aliquando parum vel nihil vomebat. Cæterum ad leviſſimam auræ mutatio-

nem recurrente catarrho, faſtiditis medicamentis, naturæ omnia permiſit, niſi ſi quando ab acrium, acidorum, & amarorum vomitu fauces excoriatæ dolent; gargariſmo quem illam docui utitur, eoque brevi perſanatur. fit ex baccis myrti, rhoe obſoniorum, & maſtiche aquæ hyperici incoctis. Cætera ſana eſt, & interim quinquies valentes fœtus peperit, quotidie menſæ cum aliis accumbens, & plateas commode perambulans. Annum jam agit fere trigeſimum. Credo illam ſi catarrho debellando ſerio inſiſteret, ab illo vomitu curatum iri. Cæterum exigua quam in vomitu patitur moleſtia non videtur ipſi pharmacorum quæ horret, tædium mereri.

Puella octodecim annorum Religioſa, ab hinc biennio, convulſionibus primum graviſſimis, deinde paralyſi vehementi tentata, poſt purgationes, litus, dropaces, thermis primum Aquenſibus, dein Spadanis aquis uſa perfecte convaluit anno ſuperiore, vitamque quamdiu medice vixit, etiam in Monaſterio in ſanitate tranſegit. ut primum relictis medicatis potibus & balneis, qui ſiccitatem nervis totique cerebro afflabant, ventriculumque calfacie-

faciebant; omiſſis etiam eidem fini præſcriptis opiatis, victuque mutato ad monaſticam diætam, muniaque rediit, convulſionibus denuo tentatur, & nunc decimo tertio quoque die paroxyſmo corripitur, nec vocem membrorumque uſum recuperat, niſi copioſo per venas ſanguine educto. Si noctu paroxyſmus invadat, durat octo & plures horas, dum mane Chirurgus veniat.

Vivit alia in eodem Monaſterio, quam ante viginti quatuor annos, cum Socero D. Ryetio aliquoties viſi. illa toto corpore ſingulis menſibus vehementiſſime convellebatur, ſtatimque à phlebotomia etiam exigua inſultu omnino liberatur. Hæc tanto poſt intervallo, etiam hoc anno eadem patitur eodemque remedio levatur, ſed jam multis malis docta trimeſtri quoque venam ſecandam curat, ſicque acceſſiones prævenit.

Anno ab hinc decimo vocatus Namurcum ad puellam Nobilem, quæ quoties campanæ ſonum audiebat, aut vocem aliquam canoram, vel loquentium vel canentium, animo linquebatur, ut à mortua uihil differret. Hanc bene purgatam, potis bimeſtri Spada-

nis aquis, remediis quæ epilepticis exhibere ſoleo percuravi, nec ab illo tempore quicquam ſiniſtri paſſa eſt. Dico me remediis Antepilepticis illam percuraſſe, quia in morbis non vulgaribus extremis ſemper remediis utor, memor illius Ariſtotelici dogmatis: *Qui poteſt portare centum, facilius portat decem.* Sicque ſæpe multos curavi, quos Deus ſanavit.

Vivit apud nos Juvenis Matrona, quæ quoties uvas paſſas, ſaccarum vel dulce aliquid guſtat, acerbiſſimis dentium doloribus affligitur, nec moleſtia levatur, dum amari aliquid vel acidi aſſumat, & tamen ſolis dulcibus nos ali, communis eſt opinio: ut cenſeam illam dolorem illum ſoli Idioſyncraſiæ acceptam ferre debere. Hac ipſa æſtate inter aquas Spadanas aniſum ſaccaro obductum avidius deglutiens me præſente, & dentium dolore, & maxillæ tumore laboravit, qui ſumptis pilulis catharticis, poſtridie diſcuſſus eſt.

IN-

INDEX.

Rerum ad praxin Medicam obſervatu digniſſimarum perutilis & neceſſarius.

A.

Abdominis ex dolore vel vulnere caſus rari. 215
Abortientibus quomodo miſſione ſanguinis conſultum. 132
Abortivum præſcribere, Medicos jurejurando inhiberi. 133
Abſtinentia pro omni pharmaco uſus Aurelianus. 2
Ἀκαθάρτοις *duobus quomodo conſultum.* 248
Acetum nervis adverſum. 213
Acuti morbi non ſemper certis prædictionibus judicantur. 67
Ælurus loco leporis artocreati incluſus, nauſeam cuidam ciet cum lipothymia. 248
Alvi beneficio deſtitutus quidam Generoſus, vomitione fæces excludens. 250
Alvinarum fæcum retentio quomodo ſoluta. 11. *tardiſſimæ depoſitionis exempla.* 249
Amauroſi ex adſpectu lunæ correptus, quomodo curatus. 47
Anguilla viſa vel occultè præſente, quidam lipothymia corripi ſolitus. 247

Annu-

Annulus aureus à maniaco in nihilum quomodo redactus. 68
Antepilepticum oleum. 176. *pharmacum.* 220
Aphrodiſiaſtica medicamenta. 97. 98
Apoplecticorum ex caſu miræ curationes. 186
Apoplecticos phlebotomia vix unquam curari. 163
Apoplexia ex nimio Veneris uſu, & mors. 103
Apoplexiæ plerorumque cauſa quæ. 163
Appetitus proſtratio abſtinentia non ſemper curatur. 2
Aquæ acidæ, remedium empiricum. 25
Aquæ gelidæ in febribus ardentibus nimia potatio multis damnoſa. 58
Aquam chryſulcam vice aquæ vitæ potans juvenis. 151
Aquæ Spadanæ quibus & quo modo noceant. 15. 16. 17
Aquæ vitæ poſt cœnam uſus commendatus. 31
Aquarum fortium vis lethalis. 155. *antidotum.* 152. 153
Aquas medicatas non temere, ſed cum conſilio periti Medici bibendas eſſe. 209
Argenti vivi crebro per corium tranſitu perpurgati, uſus & virtus. 37. *ſelibra innoxie aſſumpta.* 38
Arſenicum vice orizæ farinæ edulio mixtum, in convivioque ſumptum quantum nocuerit. 157

Aſtro-

Aſtrologiæ judiciariæ vanitas notata. 74
Aurium ſuſurri cur maſticatoriis placentur. 242

B.

Balneum cujuſvis alimenti ſumptionem toto quadrihorio præcedere aut ſequi debere; & cur? 65
Balneorum abuſus notatus. 66
Balſami ad percuranda ulcera deſcriptio. 111
Balſami Peruviani virtus in dolore ex gonorrhœa. 20. *ejuſdem vice olei ſuccini uſus.* 164
Bezoar lapis in variolis datus. 72
Bilis flavæ in atram tranſitio unde? 1
Bufonis vivi uſti pulveris ſecretum. 146
Butyrum antimonii. 145. 210. *idem magnam in ulceribus Gallicis vim habere.* 243

C.

Calculus ovi columbini magnitudine lobo jecoris adnatus. 15. *ovo anſeris major in veſica cujuſdam Doctoris repertus.* 225
Calculi ſignum pathognomicum certiſſimum. 229
Calculi microcoſmo exſecti uſus ad philtra. 130
Cancri oculi pulveriſati pro unionibus propinati, quo effectu. 197
Canis aperto thorace cordeque decuſſatim ſciſſo, cum latratu aufugiens. 116
Canitiem capitis quomodo quis in nigredinem unica nocte mutare poſſit. 160
Canonicus quidam Leodienſis tabellionem hoſpi-

tio excipiens, ab eo cum nepte & nepotulo jugulatur. 165
Cantharides cur ſolam veſicam ex interioribus lædant. 100. *eaſdem etiam externe applicitas ſanguineam mictionem cauſare, exemplis probatur.* 100
Cantharidum veneno antidotum quod? 101
Cantharidum uſus etiam in veſicantibus improbatur. 101
Cantharidibus pro Aphrodiſiaſtico ſumptis ſexagenarius prope funeratus, quomodo ſanatus. 95
Capitis affectibus laborantes quæ ſymptomata patiantur potis Spadanis. 15. *ante hauſtum quibus prophylacticis muniendi.* 16
Capitis dolori remedium. 76
Carcinomate uteri laborans anus, quomodo tractata. 135
Carminifex puer ſtupendæ memoriæ. 131
Carnis bubula jure quadam per alvum plurimum purgari ſolita. 245
Caryca mali ſucci; & pediculorum copiam producunt. 206
Caſtratio barbam inhibet & aufert. 160
Catalepti ci hiſtoria & cura. 38
Catarrhi graviſſimus effectus, 250. *curandi remedia.* 55
Catarrhorum in pectus labentium ſeges unde? 65
Catoche ſæpe recurrens. 42
Cau-

Cauſone laborantis hiſtoria & cura. 60
Cerebri portiuncula per nares epileptica excreta. 211
Cerebro ſtomachoque humidiori quæ remedia adhibenda. 113
Chalybis virtus in lienes obſtructos. 19
Chirurgici errores aliquot mortiferi. 191
Cholera ex nimio hauſtu lactis, quomodo curata. 150
Cholera morbi remedium. 13
Cingaris vaniſſimis impoſtoribus non credendum. 77
Circumforaneorum homicidia. 199
Claudicatio quando neceſſario contingat. 204
Clyſter validiſſimus Cataleptico adhibitus. 41
Coitum eſſe parvam epilepſiam, à qua ad majorem facilis tranſitus. 177
Colon inteſtinum pro utero prolapſe reſectum. 193
Colicam ſanans remedium præſtantiſſimum. 141
Colici cruciatus quibuſdam ex eſu raphani vel piperis. 249
Comitiſſa uterum gerens imaginationis vitio exſpirat. 74
Convulſionum graviſſimarum exempla, quæ non niſi phlebotomia deſinerent. 253
Corde læſo quatenus aliquot dies ægri vivere poſſint. 115

In Corde vulneratorum hiſtoriæ non vulgares. 114
Criſin niſi natura ſeptimo die faciat in morbo acuto; malum præſagium offert. 64
Criſibus perfectè ſeſe dantibus ultra ægri medicamentis non tentandi. 61
Crus tumens peneque ſideratum, quomodo curatum. 168
Cruris frigiditas, tumor ac rubor, gangrænam præſignantes. 123
Cryſtalli montani uſus. 202. *vis contra arſenicum.* 152. 155. 158

D.

Delirium ex nimio Veneris uſu. 102
Dentibus inter dormiendum quot noctibus ſtridens, & ejus rei cauſa. 244
Divites in Synochis plerunque deterius curari quam pauperes, & cur id? 59
Doctoris novitii faſtuoſa inſcitia. 53
Dolores cuidam circa umbilicum lancinantes unde? 219
Dulcium guſtu dentium doloribus affligi quadam ſolita. 254

E.

Ebrius pro apoplectico male quatriduo tractatus, repente ſanatur. 178
Ebrietas Legato cuidam quomodo diſcuſſa. 182
Ebrietatis culpam morte luentium hiſtoriæ. 163
Ebrioſi ſine decubitu dormientis exitus. 36

Edel-

Edelphi Mauri Chymici imperita Chirurgia. 197
Elaterii albi creber uſus, cuidam innoxius. 237
Embryo priuſquam animetur an ſine ſcelere expelli poſſit. 133
Embryonis ſceleton affabre concinnatum. 118
Emplaſtri capiti Apoplectici appliciti deſcriptio. 191
Ephippiarii cujuſdam Leodienſis, uxorem transfodientis, hiſtoria. 117
Epilepſia affectus inter Carum & Apoplexiam medius. 212
Epilepſia ex nimio Veneris uſu. 176
Epilepſiam à vapore, ut ſomnum, fieri. 213
Epilepſiam ex conſternatione animi incurrens puella, quomodo ſanata. 210
Epileptici quidam caſus rari. 209. & ſeqq.
Epileptici vinum Veneremque fugere debent. 213
Euphorbii abuſus ad abigendum fœtum. 133. *intra corpus ſumpti noxa.* 219
Exorcizatio Diaboli in puella. 88

F.

F*Aſcinatio mira Diaboli.* 86. 89. 90
Febres magnæ ex flagrante cœlo ortæ, & mira earum ſymptomata deſcripta. 57
Febricitantis pro deſperata relicta criſis & eam ſecuta ſanitas. 67
Febriens reſtitante urina ad mortem promotus. 62

Febrientis optimæ criſes, funeſtus eventus. 68.69
Febrientibus narcotica cum diſpendio vitæ data. 52. *iiſdem quomodo ſomnus conciliandus?* 55
Femoris vulnera lethifera quænam? 204
Ficuum eſus pediculoſos facit. 206
Flatibus obnoxii ſeneſcentes aquis Spadanis magis læduntur. 14
Fœtum ecboliis medicamentis ægerrimè poſſe occidi niſi ſimul enecetur mater. 134
Fœtum mortuum expellens egregium medicamentum. 239. 140. 141
Fœtus in ſanguineis matribus nimio alimento ſuffocari. 132
Fortunæ parum ibi, ubi multum eſt intellectus. 62

G.

GAllinæ vel Capi jure alvus cuidam quaſi cathartico ſolvi ſolita. 246
Gangræna ex inordinato Spadanæ potu. 209
Gangræna & mors ex improvida unguium pedum reſectione. 122
Gangræna lethifera ex levi cauſa. 123
Gargariſmus in excoriatione faucium. 251
Cenethliacis non temerè credendum. 74
Genuenſis à ſex bajulis in Spa portati levitas ſcurrilis. 229
Geronſterium fontem multo ferro, chalybeque turgere. 19
Gillæ noxæ. 225

Glans

Glans Cataleptico præſcripta. 39
Glans penis ob ingreſſum calculum ad pollicis latitudinem ſecta. 83
Glandis inflatio cryſtallina quomodo curata. 85
Glande imperforata natus quomodo minxerit? 82
Gonorrhœa vel carie Gallica correptis poſtulas majores in fronte prorumpere. 160
Gonorrhœa quomodo curata. 20
Guajaci uſus corpore non prius bene purgato noxius. 48 *uſu nimio Melancholicos quoſdam, quibus hepar æſtuabat, elephanticos factos.* 201
Guttur ulcere Gallico affectum. 241

H.

HEmorrhagia è minimo dextra manus digito incredibilis. 205
Hæmorrhagia quibus mediis, quoque eventu à vetula coërcita. 126
Hæmorrhagiam puella à vetula pilis e pube coercitam dira ſymptomata ſecuta; & quomodo illa curata? 70
Hæmorrhoides provocandi medium. 74. *ea quando & quomodo aperiendæ.* 185
Hæmorrhoidum cæcarum dolori certiſſimum remedium. 185
Hepatis æſtui temperando remedium. 9
Hepatis læſi veſtigia an ſemper oſtendant, qui morbo venereo exſtinguuntur? 161

Hepati calidiori apta remedia. 202
Heraclii Imp. vitium in mejendo. 81
Hippocratis ſcriptionibus cur morbi & eorum criſes hoc ævo minus reſpondeant? 63
Homicida conſcientiæ furiis exagitatus, ultro Judicibus ſe ſiſtit, ac ſupplicium expoſcit. 167
Hydropis ex ebrietate contracti curatio. 168
Hydropica Principis hiſtoria. 23
Hypochondrii ſiniſtri dolori quomodo medendum. 185

I.

Icterica hæmorrhagia mirabilis. 205
Ictibus minimis aut vulneribus mortuorum exempla. 119
Idioſyncraſiæ quædam raræ. 244
Ignes, magnæ febres Hippocrati dictæ. 57
Imaginationis vitio ex levibus affectibus mortui. 71
Impetiginoſus aquis Spadanis læſus quomodo curatus. 9
Impotentibus apta remedia. 98
Impotentiæ cauſa, præcox ſeminis emulſio. 104. 108. *inteſtini recti ulcus.* 109
Impotentiæ quorundam incurabiles. 103
Inedia imbibeſiaque puellæ dæmoniacæ per quindecim dierum ſpatium. 92
Inteſtinum tenue loco omenti per errorem reſectum. 193
In-

Inteſtini recti ulcus, impotentiæ cauſa judicata. 109
Iſchuria curata 169
Italorum in equis mejendi artificium. 79
Juvenis philtro potati mira ſymptomata. 126. & ſeqq.

L.

Lac, niſi ſaccaro vel melle condiatur, gravia ſæpe parere ſymptomata. 147
Lac jam dudum aridis mammis abunde exſuctum. 146
Lactis largior hauſtus choleræ morbi cuidam cauſa. 150
Lactis in ventriculo coagulati ſymptomata quomodo curata. 148
Lapſus ex alto quomodo curatus. 172
Lazari Zirizanæ Medici Itali inſulſi dira in utentes fontibus Spadanis. 233
Leproſi juvenis hiſtoria & cura. 201
Leproſi quibus remediis curati. 9
Lieni magno aptum Emplaſtrum. 18
Lienes obſtructos chalybeatis curari. 19
Lienoſus quo prophylactico Spadanas feliciter biberit. 17
Ligaturæ in hæmorrhagia auctori improbantur. 127
Limaces quatuordecim magni à juvene uno ſeceſſu ejecti. 129

Lipothymia Nobilis puellæ ad ſonum campanæ, aut vocem canoram. 253
Lithotomi agyrtæ imperita audacia, patientibus lethifera. 191
Lotio pedum cur ſomnum inducat? 31
Lotionem non debere fieri à cibo potuque ſaturatis. 65
Lumbricorum cohors in ventre ſubulci reperta. 120. *ferocia funeſta.* 156
Lumbricis ejiciendis aptiſſimum remedium. 224
Lunæ diuturniore adſpectu, amaurosi correptus. 45
Lupos quid vocent Flandri & Leodienſes? 241
Luſor inter pocula mortem cuidam jurans, quam ab alio illatam innocens poſtmodum crudeli ſupplicio luit. 165

M.

Medico tres vultus qui? 203
Medicorum doctorum & indoctorum diſcrimen. 62
Medicorum elogium ſiniſtrum. 106
Medicos pleroſque non tam Medeæ, quam pecudis aureæ gratiâ, vela facere. 107
Melancholiæ apta pharmaca. 73
Melancholiam morbum plerisque contingere ſenibus. 227
Melancholicus Anglus omnes menſes tripartiens. 234
Melancholicus αὐτόχειρ. 226

Me-

Melancholici in furorem verſi hiſtoria. 43
Melancholicorum caſus rari. 226
Melancholicis idoneus Pulvis. 235
Memoriæ excellentis omnimoda abolitio. 131
Menſes icterica quomodo provacati. 76
Mœror hectica cuidam cauſa. 5
Monachus melancholicus ab Empirico male perſuaſus. 231
Monſpelienſium ad pallidos colores Pulvis. 76
Mulier quinto uterum gerens mortem ſibi unde præſagierit? 73. 74
Mumia Satyrionis pro impotentibus quomodo fiat. 98

N.

N*Arcotica febrientibus data, in necrotica ipſis ceſſiſſe.* 52
Narium mediaſtinum ulcere Gallico exeſum, incurabile. 243
Narium muco in ſaxeam fere duritiem concreto liberatus quidam. 240
Naribus ſemper frigidis familia quædam integra. 244
Naturæ miniſter Medicus quomodo motum ejus obſervare debeat. 70
Nephritica cuidam non purgato corpore aquæ Spadanæ lethales. 7. 15
Noctambulonis mira geſta. 33
Noſtradamus Genethliacus notatus. 74

O. Ocu-

O.

Oculus cavo ſuo extortus & ad extremitatem naſi pendulus, reſtitutus. 49

Oculos extritos mire ſanans ſuccus, in veſicis ulmorum naſcens. 50

Olei Heraclii antepileptici deſcriptio. 177

Olei Nuchæ in frigidis capitis affectibus uſus. 43

Olei ſuccini uſus. 164

Opium ſitne calidum an frigidum? 54

Oris tortura ac genæ reſolutio ex rigidiſſimo gelu quomodo curata. 164

Oſcitantes cur parum vel nihil audiant? 242

P.

Paraplexiæ utriuſque cruris curatio. 24

Parotis omnis peſtifera, maximè venerea. 159

Penis in imum ventrem omnimodæ retractionis exemplum. 78

Penis depravata erectio. 80. *lunatio ſurſum verſus.* 81

Pericardium ab imperito chirurgo perfectum. 195

Phanatica puerpera, & ejus morbi cauſa. 137

Philtri juveni propinati graviſſima ſymptomata. 126

Philtro potatis aptum remedium. 130

Phlebotomiæ & pharmaciæ neceſſitate incidente, ab utra incipiendum? 57

Pilorum è pube abuſus ſuperſtitioſus. 71

Pilulæ, ſiccando ulceri renum aptæ. 10

Piperis albi in prima menſa uſus ad quid? 25. 55
Pituitæ ingens copia vi fontis Geronſterii egeſta. 12
Podagricæ octogenariæ hæmorrhagia mira. 207
Pollutionibus diurnis obnoxius à qua cauſa? 112
Polypus immanis quomodo curatus? 237 & ſeq.
Polypo ſe laborare credens Melancholicus, quomodo curatus? 236
Poſſethum qualis potus? 69
Præſagium mortis in febri & urina mora unde ſumptum? 64
Ptyaliſmus duorum ex potu Spadanæ. 14
Pudendorum & capitis quanta communio? 160
Puella gravida quomodo fœtum abigere ſategerit. 133. 134
Puellæ hyeme aſperrimâ in paludem cœnoſam lapſæ, & ſeminecis extractæ cura. 25
Puellæ novennis veneficio affectæ & à Diabolo variè vexatæ, hiſtoria, & curatio. 85
Puelli caput à corpore avulſum & in utero relictum quomodo expulſum? 139
Puerperæ infelicis mirus caſus. 138
Pulmonis lobi pure & abſceſſibus referti. 122
Pulmonis fruſta tuſſi excreta. 169
Pultibus ſolummodo & aqua victitans quidam. 247
Pulvis benedictus ad Melancholiam. 236
Pulvis Schyronii Monſpelienſium. 76

Q.

QUatuor temporum ſuperſtitio. 87
Quinquagenariâ major jam dudum aridis mammis infantem pupillum affatim lactat. 146

R.

RAnâ viſa vel coaxatu ejus audito quædam animo linquens. 245

S.

SAccharum & mel facile bileſcere. 59
Sanguinis magna copia & vomitu & per alvum egeſtu reddita. 183
Sanguinis ſalſedo quomodo curata? 9
Sanguinem mingenti quæ remedia adhibita. 11
Sectio thoracis inter quartam & quintam coſtas. 195
Semen humanum quid? 175
Semen, pus, pituita, quæ eodem ſæpe candore in urina ſe exhibent, quomodo diſcerni poſſint? 175
Seminis in tenera ætate emulſio, impotentiæ incurabilis cauſa. 108
Senes ſine conſilio experti Medici aquas medicatas bibere non debent. 6
Senibus vigiliis vexatis ſomnus quomodo inducendus? 55
Sexagenarii ex nimio Veneris uſu delirantis curatio. 102
Solœciſmus Doctoris novitii. 53

Somnambulonis mira geſta. 32
Somnians verè futura. 35
Somnus ſolisne provocetur frigidis? 54
Somni definitio Ariſtotelica. 30. 55
Somnifera media. 31. *aqua Langii.* 30
Somnia trucia ac horrenda cujuſdam Sacerdotis. 26
Spadanum fontem adulta in ſenectute vix ulli prodeſſe. 207
Sphacelo cerebri correptus. 170
Stercora non per alvum ſed per os vomitione egerens Generoſus quidam. 249
Steriles quomodo curatæ ut matres fierent. 132
Stomachum roborantia remedia. 25. 55
Surdeſcentes quomodo & cur aperto ore captent ſonos? 242
Syncope rariſſima in Nobiliſſ. juvene. 221
Syncopes deſcriptio. 224. *remedia.* ibid.
Syrupi roſati ſolutivi ſimpl. in bilioſis ſeceſſibus uſus. 246
Syrupis & conſervis quando abſtinendum. 202

T.

Tabeſcenti aquæ Spadanæ funeſtæ. 4
Tali cum cerebello conſenſus unde. 125
Tartaro lotione mundato plus ineſſe alviducæ virtutis, quam ejus cremori. 18

Terebinthina Veneta improbatur. 10. *Cypria commendatur.* 11
Teſtium equinorum ſecretum. 139. 140. 141
Tetano horribili obnoxius Monachus *aquis Spadanis convaleſcit.* 21
Thorax ictu percuſſus, male curatus. 198
Tumor cruris quomodo curatus. 168

V.

VApores cerebrum petentes pro patientum varietate corrigendi. 55
Veneficii mira accidentia. 86
Veneficiis deſtinata medicamenta. 93
Venæ ſectio qua cautione prægnantibus adminiſtranda. 132
Venena omnia mortis indicium cordi imprimere. 158
Venereâ affecti lue ab acidis non arcendi. 21
Veneris ſenibus noxiæ exempla. 102. 103
Veneris uſu nimio tantum non exanimati, quomodo morti erepti. 163
Venerem excitantia pharmaca. 97. 98
Ventriculo pituita turgente, tam calida quam frigida lædunt. 220
Vermes lotos & ſiccatos verminoſis pueris exhibentes redarguuntur. 101
Verrucæ in ima glande ex impuro concubitu natæ. 84
Verrucarum ſeges in mulieris pudendis quomodo exſtirpata? 144
Veſicæ lacerationi & urinæ jugi ſtillicidio quomodo conſultum? 144
Veſicas excitandi novum inventum. 187
Vetula hæmorrhagiam ſiſtens. 126
Vinum in quibus aceſcat? 213
Vini uſus in catarrho parum idoneus. 56
Vino ſopitorum mortes, morbique mirabiles. 162

Viſcus colurnus & quernus. 94
Viſus primum & præcipuum obiectum quodnam? 52
Viſu orbati ex diuturniore Lunæ adſpectu, hiſtoria & curatio. 45. & ſeqq.
Vitrum dentibus quoſdam comminuere & deglutire. 157
Ulceris curatio, ſiccatio. 10
Ulceri renali ſiccando aptæ Pilulæ. 10
Ulmi veſicarius ſuccus læſis oculis vulneribuſque ſanandis commodus. 50. 51
Unguentum Carrichteri veneficiis idoneum. 93. 94
Unguium pedum reſectio cuidam lethifera. 122
Unguium raſuræ vis. 249
Vomitorium. 148
Vomitus quotidianus & ſtatarius Nobilis matronæ. 251
Upupæ pennarum accenſarum vis in ranas, ſi credere fas eſt. 245
Urinæ incontinentiam curans, optimum remedium. 146
Urinæ ſanguineæ hiſtoria. 10
Urinæ in febricitante ſuppreſſio per undecim dies, mortis ei cauſa. 62
Uteros prolapſos in ſinum pudoris quomodo reſtituerit author. 79
Uterinus fluxus immodicus ab hepate frigidiore curatus. 208
Uvarum Corinthiacarum pulpa cum vino extracta alvum ſolvit. 11
Vulnera lethalia quænam? 204
Uvulæ ulcus Gallicum. 241

FINIS.

A φ 1 1455683

Digitized by Google

K sg.

Digitized by Google